

Le texte proposé ici a été établi à partir de l'édition publiée chez Spiritus Billiot, à Paris, en 1729.
Il s'agit du tome premier des 'OPERA OMNIA' de cet auteur.

AD SANTOLIUM DE OMISSIS LUDOVICI MAGNI LAUDIBUS, GALLIA.

P_1 v.1 Aetherei proceres, sancti gens lecta senatus,
 2 quotquot et incolitis, vivisque impervia regna.
 3 Sidereas arces ; si nos e vertice Olympi
 4 respicitis, neque adhuc nostri pia cura recessit,
 5 paulisper vestro date respirare poetae.
 6 Non ita detineant hunc sidera, ut aemula Tellus
 7 invideat Superis, propriumque reposcat honorem.
 8 Ah ! potius certa indulgens det tempora terris.
 9 Gallia sic nuper, dum me sopor altus habebat,
 10 visa loqui ; et Divos sibi conciliare precando.
 11 Liligero quantus capiti, decor ! Aurea gestans
 12 sceptrum manu, quanta se majestate ferebat !
 13 "Ecquid id est ? Quae te rapiunt spectacula, dixit ?
 14 Cur caelo affixus semper, semperque moraris
 15 contemplans Superos, et puris te inseris astris
 16 sortem ultra ? Sors caelicolas manet illa beatos.
 17 Oblitus terrarum, audax penetrantia Divum
 18 mente subis ; intrare domos impune supernas
 19 non homini datur, antiquae contagia labis
 20 ni prius eluerit lustratus, et integer aureis
 21 moribus, aut fletu largo commissa piarit.
 22 Hos aditus servant purae sine corpore mentes,
 23 lucis inaccessae radiis, atque ensibus igneis
 24 terribiles ; et tu caelestem intrusus in aulam
 25 divinas mulcere tuis concentibus aures
 26 sperasti demens ! Sua sunt si Numina caelo,
 27 quae nescire nefas ; sua sunt et Numina terris,
 28 magnanimi Heroes, quibus inconcussa furentum
 29 se contra insidias, inimicaque tela tuetur
 30 relligio ; tales patrio debentur Olympo.

31 Ne te detineam suspensum ; en aspice quantis
32 Santolide, sese virtutibus arduus astris
33 extulerit Lodoicus, ut imo Acheronte profecta.
34 Quae per mille neces, per tot civilia bella
35 non reges domuere atavi, sine vindice ferro
36 expulerit nova monstra, suae jam reddita nocti ;
37 totque suis nequicquam ut fana sepulta ruinis
38 lugeat impia gens, et quas sibi letifer Error
39 olim condiderat subversas funditus arces :
40 indignante Erebo, frustraue frementibus Umbris.
41 Tantus amor Sacrorum, et Relligionis avitae !
42 Illa tuis, Vates, digna argumenta Camenis.
43 Non ingratus erit Superis labor ; omnis Olympus
44 quandoquidem favet aspirans, Regique laborat.
45 Nonne vides sanctis, dum certa dat otia victor,
46 quas domuit ferro, compostas legibus urbes,
47 et gentis vetitos luxus, factusque repressos
48 atque emendatas in publica commoda leges ?
49 Et mille insidias, structasque clientibus artes,
50 litigeras raudes, endacia turpia larvis,
51 pulsa procul cecidisse foro ? Non amplius ausa
52 ferre diem male tuta cohors, ut noctis in umbra
53 se tegat, e Stygiis numquam emersura cavernis.
54 Nec sileas Patres, plectant ut crimina poenis
55 hac ignota tenus, diversa e classe vocatos ;
56 heu ! doctas saevire magis sine vindice pestes.
57 Dicere nec pigeat sub quaesitoribus illis
58 detectas praedonum artes, deprensaque furta,
59 subductas tot opes fisco, fiscoque reductas.
60 Auctorem tantorum operum tua plectra sonabunt.
61 Sed majora vocant, mecum mirabere vates,
62 ut mentem immensam curas extendat in omnes,
63 ne quid in imperio titubet ; dat frena Furori,
64 exarmatque truces Poenis ultricibus Iras,
65 Gallica ne pereat per mutua vulnera pubes,
66 hostibus exitium. Duris viden' horret in armis
67 bellator ? Justas sed enim obliviscitur iras,
68 dediscit victo hoste ducem ; pectusque subintrans,
69 quae Furor aptarat, Clementia detrahit arma.
70 Ut vicit, pater est, satis est domuisse superbos.
71 Profuit et victis tanto sub Principe vinci,
72 nec te praetereat pro Relligione tuenda,
73 quae tulerit bello regnantum acerrimus ultor,
74 Oceani magni dominator, et arbiter Orbis.
75 Illum Musae omnes certatim ad sidera tollant,
76 qui strepitus inter belli, armorumque tumultus,
77 muneribus magnis dotatas excitat artes.
78 Qui postquam bello totum perterruit orbem,
79 orbem pace beat ; minor esset gloria, legem
80 quam posuit mundo, si non sibi poneret ipsi,
81 contemptor titulorum, et tinctae sanguine laurus.
82 Audite haec Martis proceres ; timet ipse timeri
83 terribilis, nudatque latus, positoque furore
84 ne fessus gemat orbis, atrociam projicit arma.
85 Quo rapior ! Mars raucisono tonat aere, per omnem
86 Europam lacera vadit Discordia palla,

87 et quatiens taedam ardentem ciet impia bella,
 88 bella, sacros Magno quondam paritura triumphos.
 89 Nunc, nunc plectra, tubas, lituos, cava tympana pulsa.
 90 Illa tuis, vates, digna argumenta Camenis."
 91 Dixit ; me pariter somnusque et diva reliquit.

LUDOVICO MAGNO.

AD SEQUANOS RAPIDO VICTORI.

ROGAT EUM, UT VICTORIAS UT VICTORIAS SALTEM SCIBENDI TEMPUS RELINQUAT.

P_2 v.1 Quo te bellandi rapit impetus ? Obruīs hostes
 2 contemnens duras hiemes, cumulasque triumphos.
 3 Dic quibus auspiciis ? Quo fulmine ? Dic quibus armis ?
 4 Quisve Deus pugnat tecum, et comitatur euntem ?
 5 Te spectante cadunt, vel Solo exterrita nutu
 6 moenia, teque probant dominum, et tua jura cadendo.
 7 Septima lux palmam asseruit, quam vindice ferro
 8 non alii obtineant etiam per saecula Reges.
 9 Jamdudum in plausus mea Musa erumpere gestit,
 10 te reducem exspectans, avidas frustra arrigit aures,
 11 praecipiti cursu antevolās, fallisque parantem
 12 dicere multa, animum longe superantibus actis :
 13 nec jam te capit illa, tuis et laudibus impar
 14 insolitum miratur, et obstupefacta recusat
 15 arduum opus, vatemque negato carmine fraudat.
 16 Quid faciam ? Pudor est decora inter tanta silere,
 17 sed laudare labor : nostro succurre labori,
 18 maxime Rex, mihi quo liceat tua scribere facta,
 19 da spatium vati, cursusque morare secundos.

EXPLICATIO SYMBOLI CL. PELETERIO PRAETORI URBANO OBLATI.

P_3 v.1 Viderat Herculeos, heroum exempla, labores
 2 bellator Lodoicus, et alto pectore versans
 3 grandia facta, tot exuvias, tot monstra, tot hostes,
 4 tot gentes domitas, percussus imagine rerum
 5 tantarum, tacite ingemuit : nec conscia virtus
 6 desperat tantos etiam superare triumphos.
 7 Quaerit ubique, acri laudum inflammatus amore,
 8 quos hostes, quae monstra domet, quibus exserat ausis
 9 virtutem, et patrio nomen transmittat Olympo.
 10 Sed nemo contra, positus sibi providus armis
 11 hostis ubique silet ; vix fas mussare latendo.
 12 Quid faciat ? Pudor est longae terere otia pacis,
 13 subdere qui possit factis ingentibus Orbem.
 14 Acrius incenso minimum est stravisse tot urbes :
 15 longe alios animi exsuperans affectat honores.
 16 Et licet ad primos nuper Leo Belgicus ictus
 17 corruerit, Scaldis refugo trepidaverit alveo,
 18 Sequanus indomitas patefecerit obviis arces :
 19 non tamen illa placent inhonori praemia belli.
 20 Jam novus heroem poscit labor : impia dudum
 21 gens, sceptris inimica, jugumque exosa, superbos
 22 vilibus opprobriis Regum calcabat honores,

23 et gazis populorum, et vano turgida fastu.
 24 Audiit haec Lodoicus, et impiger arma capessens
 25 invisam Superis ardet rescindere gentem.
 26 Dant animos primae praeclara exorsa juventae,
 27 liligerisque addicta comes Victoria signis.
 28 Jamque volant turmae celeres, jam Gallica castra
 29 hostili exsultant campo, fragor undique Martis,
 30 undique bellorum strepitus, volat hostis imago
 31 ante oculos, et non dubii spes laeta triumphii.
 32 Interea Batavas subitus timor occupat urbes,
 33 ultor adest : miseros agitat discordia cives.
 34 Jam redeunt ventosae animo convicia linguae,
 35 et Reges vane irrisi ; quam ponere vellent
 36 conjurata odia, et sese subducere bello !
 37 Fata obstant victoris : amat nam vindice ferro
 38 per populos late victricem extendere famam,
 39 et jus sceptrorum majestatemque tueri.
 40 Quod populi septem jurarint foedera, sumit
 41 inde animos omenque, novam novus occupat Hydrum
 42 Alcides : placet hac sub imagine vincere monstrum.
 43 Senserat hoc Rhenus Pater, et sub fronte bicorni
 44 vana tumens, inversa horrendum immugiit urna,
 45 anxius orat opem, nec jam securus in antro
 46 cognatos amnes, cognataque flumina cogit.
 47 Sed, mora nulla, equites medios irrumpere fluctus,
 48 luctari in fluvium, hostilemque invadere ripam.
 49 Aspiceres fluvio impositas equitare phalanges,
 50 fatiferofque enses, et ferrea tela per undas.
 51 Naiades obstupuere ; gemit sub pondere flumen
 52 nequicquam excutiens dominantem fluctibus hostem.
 53 Gallicus Alcides victo tandem imminet amni,
 54 litus in adversum tendens, frenatque premo
 55 indomitos magno quondam sub Caesare fluctus.
 56 At vinci impatiens, et fractus cornua Rhenus,
 57 qui mora Caesaribus fuerat, via facta per undas,
 58 cedit, et attonitis "Truncum caput abdidit undis".

FORTITUDO ET PRUDENTIA. AD MONTES IN HANNONIA EXPUGNATOS.

P_4 v.1 Non semper temere, neque fato bella geruntur.
 2 Anceps, quae trepidis nutat Victoria pennis,
 3 magna ubi concilia, et bellorum ubi densa supellex,
 4 huc rapido fertur jam non incerta volatu.
 5 Hoc damno sensere suo, quas stravimus arces :
 6 quandoquidem montes, caeloque minantia saxa,
 7 Hannonicis nuper qua bellum saeviit arvis,
 8 victori stravere viam, quo dirigit arma
 9 bellator Lodoicus ; it et simul omnia turbans
 10 et subitus Pavor, et certae fera Mortis imago.
 11 Ecquis non paveat ? Si semper Gallica castra
 12 fida, addicta comes Victoria sponte sequatur.
 13 Tam rapido cursu volat ille, ut fortibus armis
 14 non cessasse putes, quas victor subjicit, urbes.
 15 Sed potius dociles Gallis victoribus ultro
 16 accepisse jugum, hoc totum sine numine Divum,

17 non geritur ; votis adeo respondet Olympus.
 18 Bellica res, seu consilio, seu robore agenda est,
 19 summum Martis opus, Rex praestat, et implet utrumque
 20 dux operum tantorum ; habeat Tellerius hujus
 21 partem aliquam laudis, neque enim victoribus impar,
 22 altera mens belli partes se miscet in omnes.
 23 Ne quis crediderit Regi hinc decrescere laudes,
 24 hunc sibi Rex finxit tractanda ad bella ministrum.
 25 Unde animi vigor ille, capaxque ad grandia pectus.
 26 Si bellare parat, Martemque lacescere ferro
 27 terribilis Lodoicus, et hostem in proelia poscit ;
 28 stant acies, stant castra, duces, seges aerea campis,
 29 horribilis facies armorum, et foeta procellis
 30 fulmina, et alatae portantes funera glandes,
 31 ignivomae glandes, sparsurae incendia late,
 32 torvi Brontis opus ; castris si providet, ecce,
 33 per medias hemes, alienis mensibus ultro,
 34 ad nutum fecunda suis cum messibus aestas
 35 huc properat ; totis se effundit Copia campis,
 36 sufficit et facilem stupefacto milite victum.
 37 Audite haec praefecti armis, belloque Ministri.
 38 Non acies campo, toto non aequore classes,
 39 nec nova tartareis fabricata incudibus arma,
 40 credite, tam certo Regnum munimine firmant,
 41 quantum consilio, et cura quantum ille sagaci.
 42 Usque adeo Lodoici hausit praecepta magistri.

LUDOVICO MAGNO RELIGIONIS AVITAE VINDICI. AD PAULUM PELLISSONEM. ODE.

P_5 v.1 Et, Paule, nostrum est, nec Superi abnuunt,
 2 quem scribere audes non imitabilem
 3 heroa, Romano per orbem
 4 attonitum resonare plectro.
 5 Dic bella, et ipsis Caesaribus moras,
 6 trajecta anhelos flumina milite,
 7 ut ille. Martis frangat iras,
 8 pace bonus, metuendus armis.
 9 Dic et duelli frena furoribus
 10 injecta, honores legibus additos,
 11 artes redonatas, et urbem
 12 mole novorum operum, superbam.
 13 Non Marte ab uno gloria principum
 14 omnis petenda est. Sunt sine sanguine
 15 bella, et triumphis, quos ab hoste
 16 incolumi Pietas reportat.
 17 Vidisti, ut ardens sacrilega manu,
 18 implexa nobis vipereis caput,
 19 Francas oberraret per urbes
 20 haeresis, impatiensque freni,
 21 ut subditorum non semel impias
 22 armaret ipsos in dominos manus
 23 crudelis, aeternosque Romae
 24 ausa, nefas, abolere ritus.
 25 Dirae obsidebant, et Scelus et Furor,
 26 et pasta multo sanguine civium

27 discordia : eruptae profundo
 28 in Superos Acheronte Pestes.
 29 Nunc trunca toto corpore inutiles
 30 dediscat iras. Nempe resisteret,
 31 cui totus assurrexit Orbis ?
 32 Non ita, te Lodoice, fata
 33 dedere terris : immiserabilem
 34 qui fabuloso fortior Hercule,
 35 hydram sine armis contudisti,
 36 quam nec avi domuere ferro.
 37 Eversa per te, dedecus ultimum.
 38 Delubra vidit, vidit et erutas
 39 mendacii arces, officinas,
 40 error ubi sua cudit arma.
 41 Non templa templis aemula surgere,
 42 aris nec aras stare videbimus.
 43 Contra ; Sacrorum cultus idem,
 44 una fides populos beabit.
 45 Hi sunt triumphi, maxime Principum,
 46 quos miles armis, quos neque dividat
 47 Fortuna tecum, quos redempta
 48 Relligio tibi debet uni.
 49 At mentem imago quae nova percutit,
 50 omnesque sensus occupat ? O meis,
 51 et qualis, et quantus repente
 52 sese oculis Lodoicus infert !
 53 Non jam profuso sanguine decolor,
 54 non ense districto, neque ahenea
 55 jam luce formidandus, aspe-
 56 rove supercilio severus.
 57 Nec jam tribunal terribile ambiunt
 58 leges timendae, nec minitancia
 59 edicta, nec custos in armis ;
 60 unus Amor populi, Satelles.
 61 Regale stipant Religio, et Fides,
 62 latus, virentem Pax nivea manu
 63 praefert olivam, regiasque
 64 copia fundit aperta gazas.
 65 Vexilla Christi splendida ubi extulit,
 66 en regno ab omni curritur, advolant
 67 non aere stridenti tubarum, at
 68 mota Deo meliore castra.
 69 Caeleste puri luminis ad jubar,
 70 hinc inde gentes innumerabiles
 71 venere, certatimque tutos,
 72 quos aperis, subiere portus.
 73 Huc omnis aetas, sexus, et ordine
 74 ab omni, et armis qui tibi militat,
 75 plebique permixtus Senator,
 76 cumque suis Dominis clientes.
 77 Hos blandiendo tu bonus allicis.
 78 Largis et illos muneribus beas.
 79 Sic destinavit quos Olympo,
 80 antevenit Deus ipse donis.
 81 Adstare Christum litoribus putes
 82 vento imperantem, per freta Gallica

83 et nare cymbam, at retia impleta
 84 innumero neque pisce rumpi.
 85 Talem, Sicamber sanguine adhuc madens,
 86 Christum professus, Remigii ad pedes,
 87 te mente praesaga futurum
 88 vidit, et obstupuit videndo.
 89 Carlusque vidit : te quoque litteris
 90 caelo notavit scriptum adamantinis,
 91 inter beatos qui recumbit
 92 siderea Lodoicus aula.
 93 In Te omnis uno curia Caelitum
 94 incumbit intenta, et Suboli novae
 95 applaudit, hinc de te, futuros
 96 prospiciens sine fine Reges.
 97 Nunc nunc sonantes, Minagidae, tubas,
 98 tubas Rapini cantibus aemulis
 99 inflate ; sat nobis canendo,
 100 grandiloquos animasse vates.

PRO REGE DEPRECATIO.

P_6 v.1 Nunc juvat plenis dare thura acervis,
 2 en triumphato Lodoicus hoste
 3 quaerit aeternas, tibi militando,
 4 Christe, coronas.
 5 Qui tuos gaudet reparare cultus
 6 qui gregem tuto fugitivum ovili
 7 reddit, et vindex tua qui tuetur
 8 sacra, tuere.
 9 Bellicae vixdum memor ille laudis,
 10 cuncta qui subdit, tibi servit uni ;
 11 imperes unus, satis imperabit,
 12 te duce, Princeps.
 13 Tuque, quam Francus quoties vocavit
 14 hanc sibi sensit toties faventem :
 15 fac ut aeternos, bona Virgo, per te :
 16 regnet in annos.
 17 Sit parum victo dare jura mundo
 18 et sibi, caelo quibus itur arduis,
 19 nunc avos ardet super astra vectos
 20 jungere factis.

RIVALES POETAE DE LUDOVIVI MAGNI LAUDIBUS DECERTANTES.

P_7 v.1 Dum tota per Te pace data silet
 2 Europa, Princeps, en duo, mutua
 3 ad bella se accingunt acutis
 4 terribiles calamis Poetae.
 5 Tu causa bellorum, aemulus in tuas
 6 uterque laudes certat, amabiles
 7 sine excitas ire lites,
 8 ne prohibe, Lodoice, bella.
 9 Ex hoc duello quantus honor tibi
 10 surget ! Poetas numine jam tuo

11 plenos videbis dimicantes,
 12 testis eris, pretiumque pugnae.
 13 Qui vincet, alta fronte superbior,
 14 stipatus omni Pieridum choro,
 15 ibit per urbes, victus alter
 16 clade sua haud erit indecorus.
 17 Te digna lis est ; cum domita styge
 18 clarum triumphis te melioribus
 19 nuper canebam ; non tacenda
 20 perculerant tua facta vatem.
 21 Haec me canentem sensit ut aemulus,
 22 haesit : Malherba plenior, auream
 23 chelym retractans irretortis
 24 meme oculis inimicus hausit.
 25 Tune, inquit, ausus tam lacrimabili
 26 plectro, obstupendum dicere Principem.
 27 Labor Pereri est, an se olori
 28 stridulus aequipararit anser ?
 29 Mox alta spirans, montis et impotens,
 30 manes Horati non violabiles,
 31 et Pindari indignantem ab Orco
 32 vociferans revocavit umbram.
 33 Nec plura : anhelos pectore concipit
 34 herosa, prudens otia postulat ;
 35 se nempe terreri insolenti
 36 mole operis queritur Poeta.
 37 Hic fraus dolusque est, decipitur, parat
 38 quid triste nobis, nec male suspicor,
 39 etsi per aras juret hosti
 40 haud ego crediderim doloso.
 41 Virtute novit crescere Te in dies,
 42 quocumque pergas, Te comes ambiet,
 43 in Te ora figet, Te videndo
 44 grande, novumque aliquid notabit.
 45 Hinc altiores de Te animos sibi
 46 promittit, illum jam video ad tuos
 47 sedendo postes excubantem,
 48 ut cupida bibat aure dicta.
 49 Unum oro, Princeps, Te omnibus exhibe,
 50 ad tempus uni subtrahe Te, aemulo
 51 hic summa rerum est ; aequiori
 52 causa, aliter, cecidisse credam.

REGI PRO SUA ERGA URBIS MERCATORES AMPLIORIS ORDINIS MUNIFICENTIA,

P_8 v.1 Non frustra est, tanto quod ferveat undique plausu
 2 urbs omnis, laetique novum per compita cives
 3 festum agitent : solio nuper vos magnus ab alto
 4 respexit Lodoicus, et inter martia signa
 5 nunc bellator, opes castris, Martique dicatas
 6 quas ultro fertis, "magno cum fenore reddit".
 7 Sic ubi sidereos lustrat Sol aureus orbis,
 8 caelestesque plagas, et lucida regna pererrat ;
 9 nil telluris egens, patrio cum solus Olympo
 10 jam valeat sesse asserere et regnare per astra ;

11 ille tamen steriles non dedignatur arenas
12 respicere, et campos radiis recreare jacentes.
13 Quod si forte novo tellus afflata calore
14 in tenuem exhalet nebulam, imbriferumque vaporem,
15 (non ingrata quidem, sed inania munera Soli)
16 excipit hunc primum, radioque humente tepentis
17 semina cogit aquae, nutritque, fovetque propinquam
18 desuper irradians nubem, quam deinde refundit
19 prodigus, et terras "meliori munera ditat".
20 O fortunati tanto sub Principe cives !
21 Optima pars Urbis, gemino gens nota sub axe,
22 quorum nominibus sese ultima litora, et omnes
23 undique si portus, sese maria omnia pandunt ;
24 per vos, dicam equidem, spoliis Orientis onusta,
25 barbaricisque superba opibus, jam Gallica puppis
26 post tot vota redux Francis allabitur oris.
27 Huc omnes huc ferte pedem : Rex ipse tubarum
28 clangores inter medios, bellique tumultus
29 alloquitur vos o memores mihi dicite Musae,
30 vos, audistis enim, Regales dicite Vati
31 affatus : "Vestri non muneris immemor, inquit,
32 o cives, dum saevit atrox conjunctus Ibero
33 Germanus, Batavique truces sua foedera jactant ;
34 pro decore Imperii, pro majestate tuenda,
35 omnes thesauros, omnes effundere gazas,
36 certatim vobis fuit omnibus una voluntas,
37 idem animus : sensus agnosco hoc munere vestros.
38 Hoc vestrum officium velit, et mea gloria poscat.
39 Muneris id quodcumque, et vestri pignus amoris
40 accipio laetus (Regis quam provida cura !)"
41 Ille quidem, secum belli dum fata volutat,
42 urbis amore suae victus, pectusque paternum
43 in populum accipiens, Colberto credidit ingens
44 jam jam pensandum Regali munere munus.
45 Depositum vocat ; "Hac dextra, hic victricibus armis
46 bellandum est, inquit ; sat erit mihi Martia virtus.
47 Qua conjuratas triplici sub foedere gentes
48 protinus abruptam, meque in mea jura reponam.
49 Quas populus sibi quaerit opes, quas anxia cura,
50 et quas mille artes terraque marique petitas
51 accumulans, vester, tanti in dispendia belli
52 communes mihi fecit amor, jam ponite curas,
53 "Qua populos, eadem Reges opulentia ditat."
54 Unum oro, dum me implicitum fera bella tenebunt.
55 Multa implorantes suspensi haerebitis aris,
56 ille Deus bellorum, unus qui praesidet armis,
57 hostiles Deus ille dabit perrumpere turmas."
58 Conticuit, rigidisque Heros se involvit in armis
59 securus factorum ; et jam praenuntia fama
60 ibat per populos, et splendida munera Regis
61 vulgabat, laetis Cives rumoribus acti
62 confusos urbis strepitus prona aure bibebant,
63 cum pulchro accensus patriae Colbertus amore,
64 Colbertus, gazae cui credita cura tuendae,
65 conscius ingentis facti, (sic jussa ferebant)
66 congestas tot opes populorum inopinamque dona,

67 ingens depositum, "Magno cum fenore reddit."
 68 Hinc subiti plausus, hinc publica gaudia vulgi,
 69 undique laetitiae fremitus, votisque triumphos
 70 accelerant victoris, et amplam inscribere certant
 71 nobilibus titulis et belli insignibus Urbem.
 72 Tempora adeunt, onerantque aras et fronde coronant.
 73 Aspiceres populos concursu accedere magno,
 74 et manibus passis omnes exposcere Divos,
 75 omnes caelicolas, appensi altaribus ignes
 76 dant lucem late, et largo loca lumine complent.
 77 Ipse aderat mitra effulgens, et vestibus aureus,
 78 longe omnes supra, media inter vota Sacerdos :
 79 Hic ille est, magnis quem Rex praefecerat aris
 80 Harlaeus, titulisque novis, et honoribus auctus.
 81 Audivere omnes Superi, qui praesidet armis
 82 audiit ipse Pater, dexter jam vota secundat :
 83 ecce ruunt magnae concussis moenibus urbes,
 84 rumpunturque obices, de collibus intonat altis
 85 mille neces et mille ferens incendia fulmen.
 86 Luctus ubique, et ubique fragor, jam Gallica castra
 87 montis inaccessas praeruptis rupibus arces
 88 invadunt, Rex ipse subit discrimina Martis.
 89 Unde pavor victis, victoribus inde furores,
 90 jam superant fossas, non agger ab aggere tutus,
 91 non juga, non amnes, non propugnacula tardant.
 92 Obstupuere cavis male tuti turribus hostes,
 93 suppliciter tenduntque manus, veniamque precati
 94 disjectis gaudent victorem admittere muris.
 95 I, nunc antiquas jacta Vesontio turrets
 96 et tua nequicquam, celsae capita ardua rupis,
 97 et Graeum, et Dolam, et salibus loca foeta Salinas,
 98 et bis capta tuas jacta Burgundia vires.
 99 Exigua ingentis sunt haec praeludia belli.
 100 Felices populi, Regi jam plaudite vestro,
 101 vosque Parisiaci nova per commercia cives,
 102 quo victor penetrat fama et velocibus armis,
 103 ultra Indos, Arabesque, et arenivagos Garamantas,
 104 quo vos, ingentem benefacti extendite famam ;
 105 nec vos officio pigeat certasse priores :
 106 si belli expertes non diro occurritis hosti,
 107 saltem animis, vestrisque opibus, votisque favetis.
 108 Hostibus incussit terrorem armatus, inermis
 109 conciliare animos, vos devincire merendo
 110 gestiet, et bello quondam perfunctus et armis
 111 ditabit populos, defendet legibus urbes,
 112 et res afflictas per tot discrimina belli
 113 restituet bonus, et fata ad meliora vocabit :
 114 haec certa auguria, et longae laeta omnia pacis
 115 Augustus Princeps augusto hoc munere firmat.

AD HENRICUM FURCIUM PRAETOREM ET AEDILES PRO REGIS IN URBEM ADVENTU.

P_9 v.1 Tolle caput caelo, Regina Lutetia, tolle,
 2 contigit optato Principis ore frui.
 3 Ecce venit denso non ille satellite cinctus,

4 Regi plebis amor, grande satellitium est.
 5 Jam fruimur votis, jam redditus integer Urbi,
 6 sidereo recreat cuncta supercilio.
 7 Sic Majestatem clementia temperat oris.
 8 Omnibus ut pateat Rex, patriaegue pater.
 9 Quin amat oblatis conviva accumbere mensis,
 10 sumere praetoris pocula mixta manu.
 11 Quis tibi, praetor, honos ! Vobis quae gloria cives !
 12 Se Regem oblitus, Rex, prope, civis erat.

AD SEREN. PRINCIPEM CONDAEUM, SUAS LAUDES PERMOLESTE FERENTEM.

P_10 v.1 Quid, Condaee, tibi aggredior dum scribere carmen,
 2 ponere me calamum, meque silere jubes ?
 3 Novimus eversis scribi tua nomina muris,
 4 et scripta hostili sanguine facta legi.
 5 Aeternis mansura tamen mea carmina chartis
 6 ne spernas, quorum pars bona semper eris.
 7 Nescis te seris deberi heroibus, a te
 8 qui bellandi artes consiliumque petant.
 9 Ut tu per medios nudus caput iveris hostes,
 10 certus fulminea funera ferre manu.
 11 Hi de te accipient non exhorrescere mortes,
 12 plurima dum castris mortis imago volat.
 13 Et revocare novas media in certamina vires,
 14 bellantum virtus cum prope fracta cadit.
 15 Ipsa tibi assurget, sera et mirabitur aetas,
 16 Romaque Romanos non tulit una viros.
 17 Pellaeo juveni haud impar tua gloria surgit,
 18 et plaudit magni Caesaris umbra tibi.
 19 Quod si jam paveas, rudis ad praeludia Musae,
 20 ecquid erit, cum te plenius ore canam ?

CANTILLIACA SERENISSIMAE PRINCIPI, DUCIS MERITISSIMAE UXORI.

P_11 v.1 Conjuge digna tuo, Regum de sanguine Princeps,
 2 te simul aspexi, simul ictus imagine tanta
 3 obstupui ; neque enim manifesto numine plenos
 4 fas vultus tum ferre, tuos neque frontis honores ;
 5 scilicet aethereos vincebas pulchrior ignes.
 6 Ipse tamen propiore Dea, et caelestibus auris
 7 afflatus sensi praesens assistere numen.
 8 Haec erat ingenuo toties quam carmine pinxi
 9 lapsa polo, astrorum cognato e semine virtus,
 10 quae numen mentita suum, mortalibus aegris
 11 Quos ut mulceret, mortali apparuit ore.
 12 Nam Superi, ut perhibent, humanos sumere vultus,
 13 sub nostrosque deae vultus non ire recusant.
 14 Quot comites latus ambibant, tot credita nobis
 15 numina totque deae, totum illuc nempe putabam
 16 descendisse polum, posito quin fulmine magnus
 17 Juppiter hic aderat, sacri pars maxima coetus ;
 18 ille quidem, sese cultu sub simplice celans,
 19 majestatem aliqua nobis de parte premebat.

20 Non tulit Uranie, faciebat origo superbam,
 21 Uranie, haud patiens celari et conscia formae,
 22 quae pulchro occultum retegebat corpore numen.
 23 Ipse sinu ludebat Amor, ludebat ocellis,
 24 ludebatque genis, et divam unde esse notabat.
 25 Tum mihi qualis erat, radios jaculata micantes,
 26 divinosque ignes et casti pabula amoris !
 27 Hanc juxta nesciri (ut vatem illudere posses)
 28 frustra affectabas formosa Astraea, dearum
 29 non postrema, tuis, ah ! Virgo prodita semper
 30 illecebris, neque enim tantae sine numine dotes.
 31 Singula miranti plausit mihi Juppiter, omnes
 32 et plausere deae, vatique dedere coronam,
 33 ridentesque polum terris petiere relictis.

DUCIS BORBONIO, DUCIS ENGUINAEI FILIO.

P_12 v.1 Borbonidum sanguis, tanti spes altera patris,
 2 o puer, ingentem qui meditaris avum.
 3 Blanda tuas permittite ut fistula mulceat aures,
 4 dum vacat, et tenues da resonare modos.
 5 Tempus erit quo te horrisono clangore tubarum
 6 terribilis Mavors ad fera bella petat.
 7 Tum galeas, et scuta virum, thoracas et enses
 8 ostendet, victor quae tulit arma parens.
 9 Et te Musae, etiam comites, tua castra sequentur,
 10 ambiet ut densus miles utrumque latus.
 11 Vultus blanditias delebit Martius horror,
 12 quo nunc ore places, hostibus asper eris.
 13 Tunc caput hostili teget ebria sanguine laurus,
 14 ornabitque tuam palma cruenta manum.
 15 Quin etiam crudum Martem spirabit, avorum
 16 accensum magnis pectus imaginibus.
 17 Ut stimulos addant, pulchrae et virtutis amorem,
 18 magnanimi exponent splendida facta duces.
 19 Te video jam pugnae avidum, tibi poscere tela,
 20 poscere equos, fortique arma movere manu.
 21 Induere et galeas, munire et pectora ferro,
 22 et sublimem in equo ludere Martis opus.
 23 Si facis ista puer, quid non sperare licebit,
 24 cum perfecta aetas te dabit esse virum ?
 25 In te uno sese agnoscent, fera pectora bello.
 26 Omnes Borbonidae, seque videbit avus ;
 27 se pater ; antiqui manes, umbraeque redibunt
 28 Borbonidum, gestis gens rediviva tuis.
 29 Tot juvenem accendent exempla domestica, ab illis
 30 disce tuum, princeps ambitiose, genus.
 31 Disce tamen melius longe e genitore magistro
 32 quid sis, de magno quisve futurus avo.
 33 Amborum imprimis praeclara imitabere facta,
 34 o puer, et reges exsuperabis avos.

POETA IN RURE CANTILLIACO A DUCE BORBONIA OB EJUS LAUDES PRAETERMISSAS.

P_13 v.1 Huc vos, Musae omnes, vos Pindi gloria poscit
 2 percutimur sacri, media inter pocula, vates.
 3 Quae fuit illa manus tam barbara ? Quae dea tantum
 4 ausa nefas nostros violavit verbere vultus ?
 5 Nec satis ; immeriti famam aspernata poetae
 6 in caput injecta me totum proluit unda
 7 crudelis ! Doctae quo jactu evanuit omnis
 8 frontis honos ; fuis late risere cachinnis
 9 nympharum chorus omnis, et omnis turba deorum,
 10 et stantes circum, silvestria numina, fauni,
 11 dum madido in pectus stillarent vertice guttae.
 12 Quis nos, quis vates, et vatium carmina curet
 13 praeterea, et meritos nobis impendat honores ?
 14 Dicite, Pierides, tanti quae causa furoris ?
 15 Tempore quo dapibus laetus conviva paratis,
 16 sperabam (dederat Princeps accumbere mensae)
 17 implacidam lenire famem, ceu fulminis ictu
 18 impactam in vultum sensi magno impete dextram,
 19 amisique diem ; stupor irruit et ligat artus,
 20 nec licuit summis epulas contingere labris,
 21 regales epulas, et laeti munera Bacchi.
 22 Non ita despexit quondam Regina poetam,
 23 nec casta erubuit dare labris oscula doctis.
 24 Et nos percutimur media inter gaudia vates !
 25 Sic ego sacrilegi vos conscia numina facti,
 26 ultrices Musas magno clamore vocabam.
 27 Impatiens ludi, et petulantis fabula turbae
 28 intactae volui me clam subducere mensae.
 29 Obvia Melpomene fugientem sistit, alumni
 30 fida fui siccans oculos multo imbre madentes,
 31 restituit lucem, et verbis sic carpit amicis.
 32 "Solvisti, vates, justas pro crimine poenas.
 33 Quae modo te plectit, nescis, vatium, optime, nescis.
 34 Borbonia haec illa est, regum alto e sanguine nata,
 35 Delphinique soror, Condaei que inclyta conjux ;
 36 cui sua crediderat plectendo fulmina vati
 37 Juppiter, offensae iudexque ultorque puellae.
 38 Tu Cantilliacos nuper describere campos,
 39 fluminaque, et fontes, silvasque, et prata solebas ;
 40 scilicet huic etiam dubitasti impendere versus,
 41 demens ! Borboniae dum plaudunt omnia Nymphae,
 42 silvae omnes circum foliorum murmure blando,
 43 rivique, et fontes, et stagna sonantibus undis,
 44 laetitiam testata suam ; tu solus in umbra,
 45 "nescio quid meditans nugarum, et totus in illis",
 46 neglectis calamis inglorius otia vates
 47 mollia carpebas ; praesens tibi regia nymphea
 48 vel Solo aspectu sopitam accendere Musam
 49 debuerat, Musis haec pro omnibus una fuisset.
 50 Quam sese ore refert, quo sese numine prodit
 51 Borbonius sanguis ! Cui cederet aemula Juno,
 52 cui Venus ipsa suos afflavit frontis honores,
 53 quae Cantilliacis summum decus addidit hortis :
 54 frigidus in laudes tu longa silentia servas ?

55 Et quaeris subiti fuerit quae causa furoris ?
 56 Est tibi priscus adhuc vigor, et vis blanda canendi.
 57 Quin etiam magnam inspirans ad carmina mentem,
 58 annuerat vati Condaeus, et ipse favebat.
 59 O ubi nunc dulces quos garrula fistula cantus
 60 edebat nuper ? Ripa omnis, et omne sonabat
 61 umbriferum nemus, et vetus hospes Sylvia silvae,
 62 non jam rupe latens plausum dabat omnibus undis,
 63 monstrabatque tuos inscripto marmore versus.
 64 Theophili teneros posthac neque jactat amores,
 65 Santolio jam vate superbior, illius omnes
 66 ex quo delicias cecinisti, et gaudia ruris.
 67 Omnia quae quondam Condaeo afflante canebas.
 68 Hanc tacuisse nefas ; potuit vix Juppiter ipse
 69 placari super his ; sua fulmina credidit ultro
 70 regali Nymphae, spretos ulturus honores.
 71 Illa quidem sacrum metuens male perdere vatem,
 72 fulmina deposuit, (tenerae saeva arma puellae
 73 non bene conveniunt), dextraque imbellis inermi,
 74 sopitum admonuit, sed amico verbere vatem
 75 subridens (ludentum haec munera grata dearum)
 76 ne violata ictu nimius calor ureret ora,
 77 injecit medicam sedandis aestibus undam.
 78 Addidit haec, non jam crudelis Nympha jocando :
 79 "Post fulmen, veniunt ruptis e nubibus imbres."
 80 Hinc omnes risere deae, nec Juppiter ipse
 81 abstinuit risu, laesus risique poeta.

AD BURGUNDIAE COMITIA SUB SEREN. PRINCIPE LUD. DUCE BORBONIO,
 DIVIONE CELEBRATA ANNO M.DCXCV.14 OCTOB.

P_14 v.1 Nos etiam, vestri non ultima gloria coetus,
 2 (Burgundi proceres, gentis decora alta vetustae,)

3 adfuimus vates : nos hoc dignatus honore,
 4 qui colit et vates, et vatum numina, justis
 5 dicendus Princeps, quando favet ille, Camenis.
 6 Tempore quo variis accita e partibus omnis,
 7 de more, ad dominam Burgundia confluit Urbem
 8 pro patria incolumi, et regni felicibus armis.
 9 Dux tantorum operum, regum genus, alta profundo
 10 perpendens animo commissa negotia Regni,
 11 acceptum ex atavis munus Condaeus obibat ;
 12 illi crediderat sceptri Regalia jura
 13 Rex meditans nova bella, novosque ex hoste triumphos.
 14 Hactenus ille tuas, Burgundia, rexerat urbes ;
 15 nec spes, quas dederat, nec publica vota fefellit.
 16 Ut tibi perpetuam fidus servaret amorem,
 17 depositum munus nato commisit, avitos
 18 jam par qui titulos meritis ingentibus aequat.
 19 Exsultat pater, ipse suo decedit honore,
 20 agnoscens proprios juvenili in pectore sensus.
 21 De patre, de nato quid non sperare licebit ?
 22 Vix tribus exactis Burgundia laetior annis,
 23 Principis adventum speraverat ; ecce repente
 24 exspectatus adest, sese ultro civibus offert :

25 qualis post hiemes terris se Phoebus apricis
26 exserit, et steriles fecundo lumine campos
27 suscitatur in flores, et laetae in munera messis.
28 Condaei ad nomen tota concurratur urbe ;
29 quantus erat populorum ardor ! Quam laetus aperta
30 compita per fragor, et strepitus ! Vix se capit ampla
31 urbs mirata novos, quot dat Burgundia, cives.
32 Plaudit quisque sibi ; se jactant Principe cives,
33 civibus et princeps ; certant se dulcibus ambo
34 prensare officiis, justumque rependere amorem.
35 Quo rapior ! Quanam illa domus se tollit in auras.
36 Fronte superba domus, decus urbis, et aemula sedes
37 regali lluparae ; suprema oracula credas
38 hic se detegere, atque suas hic ponere noctes ;
39 hic sortes populorum, hic publica fata reguntur.
40 Huc veniunt lecti, velut ad sacraria, coetus,
41 religioque, et nobilitas, urbisque quirites,
42 unanimes fidei dare pignora certa probatae.
43 Eminent ante omnes flos nobilitatis avitae,
44 quem genere illustres legere ex omnibus unum,
45 ut titulos gentisque probet, queis fulget, honores.
46 Praepositus magnis regni pro rebus agendis.
47 Nec cui religio sine labe, et nescia laedi
48 deposuit sua jura, tacebere ; quippe sedebas
49 Pontifices inter, mox agnoscendus in illis ;
50 te dicente loqui visa est Facundia, sacris
51 addebas numeros verbis, et pondera rebus
52 orator, quae cuncta avidis simul auribus hausi.
53 Non indictus erit, primus qui praemia nobis
54 proposuit donanda ; illi dent carmina vates,
55 et statuam Musae memores e marmore ponant :
56 nempe politus amat Musas, et amatur ab illis.
57 Omnes consiliis, clari et virtutibus, omnes
58 accensi studiis certant aequalibus una
59 solvere Principibus grati vectigal amoris.
60 Quin etiam coeptis ardent succurrere bellis,
61 et quorum pars magna fuit, spes altera gentis
62 Condaeae, Dux Borbonides, bellare paratus,
63 increpitans longas hiemes et frigora brumae,
64 asserat ut vestram, per mille pericla, salutem.
65 Et dubitatis adhuc rerum in discrimine tanto
66 ipsi belligeri bellantibus addere vires !
67 Non sibi visa satis felix Burgundia mater,
68 heroas peperisse, tot inclyta pectora bello,
69 totque toga insignes, legum jurisque ministros,
70 si non magna auri, simul argentique talenta
71 offerat, et totis contendat viribus hostes
72 perdere, et ingentes Lodoici augere triumphos.
73 Juppiter unde tonet, sic tellus mittit Olympo,
74 e gremio eductos, gratissima dona, vapores.
75 Salve, o magnorum nutrix fecunda virorum
76 bellatrix, quae magnanimo, Burgundia, Regi
77 suppeditas vires ; das ferrum cudere in enses,
78 scutaque, loricasque, immaniaque arma ministras :
79 arma, tot hostiles debellatura phalangas ;
80 et nova ne desint justis instrumenta furoris,

81 quae caecis latuere diu infabricata sub antris,
 82 sponte tua retegis, terra plaudente, metalla,
 83 unde venit bellorum, et Martis dira supellex.
 84 Duceret illa parum, si non licuisset iniquis
 85 temporibus, dum saeva furit Bellona per orbem,
 86 pro patria, pro rege omnes impendere gazas.
 87 Magnanimam usque adeo tangit laus bellica gentem.

PRO FELICIBUS ET PIIS LUDOVICI MAGNI ARMIS AUXILIA PECUNIARIA
 A BURGUNDIAE COMITUS OBLATA,
 PROCURANTE S.P. LUD. BORBONIO PRO REGE.

P_15 v.1 Aspicias ut vasto liberrimus amnis in alveo
 2 praecipites evolvit aquas, mediasque per urbes
 3 exsultans amat ire, suaque excurrere ripa
 4 in steriles fecundus agros, dum flumine prono
 5 assuetum per iter longinquas fertur in oras ;
 6 si rapidos cursus tardaverit obvia moles ;
 7 in sese redit, iratis immurmurat undis
 8 indignans, glomerat fluctus, frenoque teneri
 9 impatiens, positas certat perrumpere metas ;
 10 scilicet angusto conclusus litore regnet,
 11 qui late exundans nuper nova regna, novosque
 12 lustrabat populos cohiberi nescius amnis.
 13 Non ita ; cognatos vocat ad se protinus amnes,
 14 et vectigales, quos excipit undique, rivos,
 15 et stagna et fontes : densa agmina cogit aquarum
 16 hinc atque inde, (urit tardati injuria cursus).
 17 Ergo tot aggestis circum auxiliaribus undis
 18 insultat ripas, violentior impete magno
 19 oppositam evincit molem, simul "obvia rumpit",
 20 objurgansque moras, se fortior ipse, negatum
 21 ingenti sibi plaudit iter fecisse ruina.
 22 Ite, et victori Lodoico ponite metas.

SALPETRIA NYMPHA CANTILLIACA.

P_16 v.1 Quae dea mutato celavit nomine numen,
 2 dedidicitque genus ? Mala fraus : se detegit ipsa,
 3 et male dissimulans toto se prodit in ore,
 4 per mille illecebras, quales Venus aemula poscat.
 5 Se confessa deam nos frustra ludere falsis
 6 tentat imaginibus. Diva est (mihi credite), diva,
 7 quae delapsa polo non dedignatur adire,
 8 quas colimus, terras humiles, et ludere ludos.
 9 Et miscere breves, celato numine, nugas.
 10 Aut saltem, (mea me si fallit Musa poetam)
 11 Nympha est, Borbonidum regali e sanguine nata.
 12 Haec venit unde deae latitandi insana cupido ?
 13 Salpetria affectat, virgo prope rustica, dici.
 14 Salpetriam quis novit ? Ad hanc mens territa vocem
 15 haeret, et ipsa sono violatur mollior auris.
 16 An mortale genus sic ludimur, improba diva ?
 17 Vos Cantilliacae non posthac rustica silvae

18 numina, vos horti tanto cultore superbi,
 19 et rivi, et fontes ; et quae sub fontibus imis
 20 Naiades occultae, longe altius impete magno,
 21 hujus ad adventum vibratis in aera fluctus,
 22 dicite, nam vestros vidistis saepe per hortos.
 23 Quae nova successit campis felicibus hospes ?
 24 Vos etiam, nemora antiqua umbriferique recessus,
 25 vallesque et montes, et conscia dicite stagna ;
 26 litoribus vestris meditantem seria nympham,
 27 spargentem lepidosque jocos, nugasque decentes
 28 vidistis ; dubio vos omnes dicite vati,
 29 quae dea suspendit falsa sub imagine mentes ?
 30 Num Superis fas est nostram deludere gentem ?
 31 Desipimus ; fas est nobiscum ludere ludos,
 32 et miscere breves, media inter gaudia, nugas.
 33 In terras pluvio descendit Juppiter auro,
 34 oblitusque deum posuit cum numine fulmen.
 35 Ni faciat ; divinum, et non tolerabile numen
 36 obrueret ; nudi praesentia numinis urit.
 37 Quo me animus ; fraudem scelus est componere fraudi.
 38 Immemor ille sui ; mutatus corpore toto
 39 proh pudor ! Infando, jam non deus, arsit amore.
 40 Tu larvata tuum non sic premis undique fulgur.
 41 Virtutum chorus omnis, et omnis Gratia tecum
 42 it comes, it custos pietas, aeterna satelles.
 43 Non totus premitur quando sol delitet atra
 44 obductus nebula, lucemque diemque ministrat,
 45 ne noceat terris, mulcetque, et temperat ignes
 46 castigans radios ; sic te latuisse juvabit,
 47 Salpetria, o nostri decus, et nova gloria ruris !
 48 Ah ! Quibus illecebris divam tete ipsa fateris !
 49 Quantus in ore lepos ! Sacrae qui frontis honores !
 50 Hos oculos, haec ora manusque comamque gerebat
 51 pulchra Venus ; te crediderim paene esse ; sed obstat
 52 quae tegit illa tuas inimica modestia dotes.
 53 Non tam docta Venus, nec tam divina profatur,
 54 et Sophiae caecos nescit penetrare recessus.
 55 Si formosa, facit non te tua forma superbam.
 56 Si das jussa, rogas, et risu dura benigno
 57 imperia emollis, mea Nympha, timesque timeri,
 58 et blanda vultus angustos luce serenas.
 59 Talia dicenti sese ultro Nympha retexit.
 60 Borboniam agnovi regali e sanguine Nympham.
 61 Tum mihi subridens sic me compellat Apollo :
 62 "Si sua sunt caelo, sua sunt et numina terris."

SERENISSIMO PRINCIPI LUDOVICO AUGUSTO BORBONIO
 QUOD LATINA CARMINA GALLICA INTERORETATIONE ILLUSTRAYERIT
 GRATULATUR S.V.

P_17 v.1 Tolle caput caelo, te dignos concipe fastus,
 2 Nostra Thalia, tuo quos scripsi numine versus
 3 et legit, et relegit satus alto sanguine regum
 4 Borbonides, vatem nec dedignatur amicum.
 5 Vatibus ecquis honor, surgit quae gloria Musis ?

6 Quin etiam nostrae captus dulcedine vocis,
7 de Latia in patriam convertit carmina linguam
8 nobilis interpres, nitidoque lepore disertus.
9 Et dubitat lector fuerit cui debita palma.
10 Usque adeo numeris respondent omnia nostris !
11 Ipse ego festivi sim quamvis carminis auctor,
12 ceu pater exsultans plaudit sibi prolis amore,
13 plaudo mihi, mirorque magis ; mea Musa Latinum,
14 dediscens morem numeris liberrima ruptis,
15 Principis ad nutum jam Gallica tota superbit ;
16 compta adeo ! Me crediderim patrem esse secundum.
17 Error erat, sed erat patri gratissimus error ;
18 quippe meae mihi visa simillima mentis imago.
19 Non secus ac laevi in speculo qui consulit ora
20 ipse sui iudex, species ubi protinus olli
21 obvia dat se se, miratur, amatque videndo
22 tam fide expressos praeclara in imagine vultus.
23 In te, me totum, magni pars magna parentis,
24 Borbonide, contemplor, et exuo quidquid agreste
25 contraxit longo ex usu subrustica Musa.
26 Afflatus propiore Deo, et ceu Numinis haustu
27 tollor humo solito major, super aethera vectus
28 despicio terras, et vatum ignobile vulgus.
29 Tanti est principibus placuisse ! Hac sorte beatus
30 alta supercilia induerim, et jam cedere nollem
31 Commirio, summis titulis, et honoribus auctus.
32 Felix ille tuum, magno te iudice vates
33 dum trepidant, potuit qui conciliare favorem !
34 Te sine quae mea sors ! Regali inglorius aula
35 ad Luparae postes Latius frigeret Apollo,
36 infelix, contemptus, iners sine nomine vates.
37 Nam si surda meos non audit Gallia cantus,
38 dicere nec valeo Lodoici heroica facta
39 vocis egens, patriae ignarusque et transfuga linguae.
40 Romanum frustra jactet me Roma poetam,
41 tu nostram, o Princeps, sortem miseratus iniquam,
42 carminis interpres mediam das ire per aulam,
43 nec me torva tuens ad limina prima Satelles
44 longe arcet : mihi fas, duce te, penetrabilia regum,
45 intrare et Lupatam, vultumque impune subire
46 quo Magnus beat et populos, et territat hostes.
47 Nostri, si placeant, nuper tua gaudia, versus.
48 Hoc munus totum est interpretis : annuis ultro,
49 laus tua facta mea est, si quid laudabile scribo,
50 si carmen nitet, ac doctas si mollius aures
51 afficit, ingenuum servas sine labe nitorem.
52 Exsultare stylo quamvis tua suadeat aetas,
53 iudicio reprimis, necnon ratione magistra,
54 luxuriantem animum certa sub lege coerces,
55 nec vagus excurris, sensumve includis iniqua
56 verborum brevitate fremens ; das pondera rebus,
57 das numeros, simul et veneres das noscere linguae.
58 Si quid peccatum est, si paulo obscura poesis
59 detineat dubium lectorem, et forte moretur,
60 tu purgas vitium, lucemque infundis amicam.
61 Ac veluti statuam, qui dum molitur acernam,

62 si labem advertat, prudens super induit auro
 63 artificis manus, et peregrinos addit honores.
 64 Hac cura, his studiis si nos, et nostra tueris.
 65 Tuti erimus, stolidae contra ludibria plebis
 66 indignosque sales ; tu nostri nominis ultor
 67 alter ut Augustus dabis otia blanda Camenis.
 68 Mars non invideat. Sua sunt et tempora Marti,
 69 et sua sunt Musis ; post longi taedia belli,
 70 postque triumphatos patriis virtutibus hostes.
 71 Quid vetat, ad tempus positis Mars dum silet armis,
 72 Musarum alloquio crudos mulcere furores ?
 73 Hoc magni fecere duces, hoc Caesar, et ipse
 74 magnus Alexander, quamquam ad certamina nati,
 75 acrius ad pugnam rediere ; et tu quoque, Musis
 76 non adeo laetantibus, intermissa redibis
 77 ad sera bella, tuis quando auribus aera sonabunt.
 78 Jam video ! Properas, campo te te arduus infers
 79 conjugis et tenerae non jam memor, asper in armis,
 80 (vultus blanditias delebat Martius horror)
 81 ire ardes, clarosque patris cumulare triumphos
 82 hoc, Musae, servate caput, servate vicissim
 83 dii bellatores : "Vobis debetur utrisque."

VICTORINA FAMILIA PEDIBUS PONTIFICIAE. MAJESTATIS ADVOLUTA.

P_18 v.1 Flos sanctitatis, Maxime Pontifex,
 2 virtutis haeres, summus et arbiter,
 3 qui candidatis das honores
 4 militibus, reserasque caelos.
 5 Non erubescit sistere se tuae
 6 martyr tiarae, sanguine splendidus,
 7 jam se probavit sanctitati,
 8 Jamque tibi placuisse merces.
 9 Vir, creditarum, fortiter aemulus
 10 Ecclesiarum jura rapi vetat,
 11 quo praestet intactum supernae
 12 virginis os sine labe rugae.
 13 Sed impiorum se furor exserit,
 14 virum reductis impetit ensibus,
 15 et mactat imbellem columbam
 16 turba furentum animis leonum.
 17 Supplex Tonanti victima corrui,
 18 at mens superstes fertur in aethera
 19 subvecta pennis, jamque victrix
 20 siderea requiescit aula.
 21 Qui vincla legum firmissime asseris
 22 severe custos, Martyris inclyti
 23 legi dicatum protegenda,
 24 suscipias gremio cruorem.
 25 Invictus heros vulnera pertulit,
 26 ne sponsa ferret, pectus amabile
 27 excepit ictus, at vicissim
 28 sponse memor referas triumphos.

MARTYR VINDICATUS SEU THOMAS DE S. VICTORE

P_19 v.1 Sunt sacrae leges, quas frangere nulla potentum,
 2 vis valeat, quas non hominum fraudesque dolique,
 3 nec malus interpretes mutaverit ardor habendi.
 4 Si quis noctis amans, blandoque errore beatus
 5 tam purae luci nubem interponat amicam,
 6 splendescunt magis, et vires vel ab hoste resumunt,
 7 legitimo sensu et proprio se jure tuentur.
 8 Fortiter occumbit strictis pugionibus heros,
 9 quem Thomam dixere, sui quem sanguinis ornat
 10 purpura, non alios moriens ambibat honores.
 11 Quippe tuebatur numquam violanda supremi
 12 jura Poli, decreta Patrum, et sancita priorum
 13 Pontificum ; hanc mentem dederat quae nescia laedi,
 14 religio. Praestantem animis nec dona, nec ullae
 15 intexere preces : intentant funera Poenae
 16 necquicquam, semper manet imperterritus heros,
 17 vir sine labe, expers sceleris parvaeque beatus.
 18 Sorte, Deo totus tranquilla mente vacabat,
 19 nam non divitias, non affectabat honores,
 20 sed voti exiguus, pateat quo tramite caelum
 21 monstrabat, lapsos revocans in. Pristina mores.
 22 Sese attollentem Parisina per oppida famam,
 23 ardoremque animi immensum haud potuere tyranni
 24 deprimere, afflictis audet succurrere rebus.
 25 Noverat interpretes caeli, quid jura vetarent,
 26 quid sinerent, quae sit reverentia debita sacris,
 27 quid pia sensa Patrum, quid prisca exempla docerent,
 28 nec minus insidias Theobaldi et senserat artes.
 29 Hic meditans sanctam Christi subvertere legem
 30 sacrato praedandi animum de munere nactus,
 31 illicitos quaestus, et lucra indebita poscit.
 32 Quid non dira fames et habendi insana cupido ?
 33 Immuni populo nova vectigalia figit.
 34 Votivae quaeruntur opes, appensaque dona
 35 jam sacris non tuta locis, spoliuntur et arae
 36 Numine contempto prius, (et tua fulmina cessant
 37 summe Deus !) nil sancta juvant, nec se ara tuetur.
 38 Tunc raptae divum effigies, fulvum ecce metallum
 39 quod prius ornabant spirantes mille figurae,
 40 nunc cadit in molem, et sine nomine fusilis auri
 41 congeries, avidi votum raptoris adimplet.
 42 Stat contra infractus sacris pro legibus heros ;
 43 explorat praedonum animos, secretaque corda ;
 44 insanamque auri rabiem. Quot bella ciebut,
 45 quas clades, stragesque ? Suo sed munere fultus
 46 ibit in adversos confidentissimus hostes.
 47 Infensum Caelum omne monet : si detonet, inquit,
 48 id tantum facinus, cervices franget iniquas,
 49 et longa in seros descendet poena nepotes.
 50 Incassum cecidere minae : furi acrius hostis
 51 et conjuratam spirat gens impia mortem ;
 52 undique stant structae insidiae, se destinat aris
 53 interea pugil et Christi se robore vestit,
 54 tunc sitiens necis in nudos se conjicit enses ;

55 speravitque mori, propriis jam victima votis :
 56 "Nam quid ego, dixit, post. Crimina tanta superstes ?
 57 Contemptae leges, foedataque jura tyrannis,
 58 et Divum violatus honos, et sacra teruntur ;
 59 quin Deus eversis spretus procul exsulat aris.
 60 Si tamen ! o possent defendi sanguine leges,
 61 legibus hunc totum (felix jactura !) cruorem,
 62 et qualemcumque optarem hanc impendere vitam.
 63 Sed fortasse alium (hunc oculis Deus aspicit aequis)
 64 ultorem quondam inveniet, qui numine plenus,
 65 antiquos ritus, monumenta antiqua priorum
 66 restituet, nova subvertens, penitusque revellet
 67 impia jura ; suos et legibus addet honores.
 68 Impetet hunc furiosa cohors, sed nescia flecti
 69 virtus adversae se contra opponere moli
 70 audebit sola, et rebus se major in artis,
 71 exseret assurgens per mille pericula Virtus ;
 72 praedonum primum insidias vitabit et artes,
 73 ridebitque minas ; non verbera dira neque ictus
 74 atque inconcussam non frangent praemia mentem.
 75 Felix, quem talis manet exitus ! Omnis in illum
 76 incumbet furor, at tandem delusus ab hoste,
 77 occidet insidiis. Summi moderator Olympi,
 78 tunc defende tuas, tua sunt oracula leges.
 79 Haec Thomas ; jamjam ipse suos praesentit honores,
 80 ipse sui praeco, et proprio canit ore triumphos
 81 imprudens ! "Melior, dixit, cadat hostia Christo."
 82 Et quamquam exsultans animi sibi proelia poscat,
 83 castigat tamen insolitos, et temperat aestus ;
 84 sed frustra. Per iter, dum curru invectus eodem,
 85 quo Stephanus, Thomas, illis nam forte diebus
 86 commissos populos Praesul lustrabat et urbes,
 87 ecce ruunt glomerati hostes, Thomamque reposcunt
 88 an se proripiet, strictos moriturus in enses
 89 an se sponte dabit ? Totum hunc ambire corona
 90 et gladios jactare, manusque in vulnera pronas.
 91 Ante omnes solus, quamquam sibi quisque timebat,
 92 impetitur Thomas, Tomaeque in caede morantur.
 93 Carnificum quoties exceperat obvius ictus
 94 praesulis ingeniosus amor ? Sed poscitur unus,
 95 bellantumque furor Thomae se sanguine pascit.
 96 Proh dolor ! Heroem fodiunt, mactantque, recessus
 97 vitales animae rumpunt, sic dira luporum
 98 agmina dilacerant procul a praesepibus agnum.
 99 Exsecrata nefas rubuit sibi conscia tellus :
 100 stat pugil, et vitae bene prodigus excipit ictus,
 101 seque probat moriens, gaudetque impendere vitae
 102 reliquias tenues, et amanti solvere Christo ;
 103 hostibus obsequium, et pacem pro morte rependit,
 104 oris quantus honos, qualis reverentia vultus !
 105 "Accipe, Christe, tibi dixit, quam fundimus ultro,
 106 hanc animam" (rapido properabat ad astra volatu).
 107 Sic litat emoriens : sacro si turea dona
 108 desint, compensant suspiria turis honores ;
 109 et caelum petit antevolans, terrisque relictis
 110 ad superos designat iter tollitque natantes

111 ipsa in morte oculos, et voto praeripit astra.
112 Tolleret et cum voce manus, sed sanguine fuso
113 paulatim abscedunt vires, corpusque relinquunt.
114 Hos inter strepitus, atque impia verba furentum,
115 vox Christum resonat, vox unica et ultima Christum,
116 nomine quo vires animosque in morte resumit.
117 Majores in luce moras optasset, opima
118 saepius ut caderet repetita victima plaga ;
119 sed validum pectus telum perrumpit, ibique
120 frangitur, invictis quamquam esset viribus heros.
121 Ibat purpureum fosso de pectore flumen
122 per totos artus, cruor undique et undique vulnus.
123 Hoc caput, hoc vestes, hoc saucia membra ruebant :
124 crediderim priscos dudum flevisse parentes
125 tam duros obitus, nos, postera turba, Minores
126 projecti ad tumulum cineres affamur amicos :
127 nam sanctos cineres, templi in penetralibus ipsis,
128 Victorina diu servat domus : aurea Templa
129 jamdudum exposcunt, Divumque merentur honores.
130 Et mihi nescio quid nuper rumoris in aures
131 repit, et in hanc spem rapior Santolius, et jam
132 orator latios proceres magno alloquor ore.
133 Ostendam quales pro Relligione tuenda
134 et quantos tulerit caelo spectante labores :
135 dicam pro templis omnem effudisse cruorem,
136 hancque dedisse animam, qua Christo saepe litabat,
137 perpetuis operans sacris sine caede sacerdos ;
138 utque necem exciperet, nudasse in vulnera pectus.
139 Adjiciam ut Christo moriens superaverit hostes,
140 factorum testes tabulas, venerandaque scripta,
141 membranas veteres, et mille volumina pandam.
142 Si Vaticana summus de rupe Sacerdos
143 annuat oranti, et liceat celebrare quotannis
144 annua Sacra, tuos jam tum dicemus honores.
145 Ipse adero, et quamquam sacri sim muneris expers,
146 tunc aras de more, sacrata in veste sacerdos,
147 pulpitaque ascendam, et propiori numine plenus,
148 omnibus exponam populis ingentia facta.
149 Tot proceres inter, quos vexit ad aethera virtus,
150 purpurea Thomas redimitus tempora vitta,
151 et Tyrio incedet chlamydem spectabilis ostro.
152 Hunc aperire diem jam gestio, rite dicatum
153 servabunt nostri per saecula mille nepotes ;
154 et meliore nota fastos numerabitur inter
155 ille dies notus populis. Lustrabimus arva,
156 quae late fusum quondam exceperet cruorem ;
157 atque omnem, caput imperii, lustrabimus Urbem
158 cantibus alterni resonabunt undique colles,
159 et longum per iter, positi nos ordine longo,
160 in manibus palmae, omnesque in vestibus aureis,
161 ibimus ad tumulum ; tumuloque addemus honores,
162 et tibi centum aras, totidemque e marmore templa
163 ponemus ; precibus jam Thoma assuesce vocari
164 et nostris, si forte cadant, ne defice rebus.
165 Nos eadem domus, et communis regula vitae
166 nos tibi junxit, (adhuc Superi mortalia curant)

167 aspice nos, animisque potens illabere nostris ;
 168 scis quid opus, nos quanta premant averte pericla,
 169 scis, Pater, indomitos nostro sub pectore motus,
 170 atque iras vatium indociles, fastusque superbos :
 171 affer opem, medicamque manum, mea vincula rumpe.
 172 Rumpe, Pater, densamque animo procul excute nubem.
 173 Me duce, bis denos et viximus amplius annos,
 174 te duce nunc vivam, da temnere gaudia vitae,
 175 terrenas et opes, et quidquid mentibus obstat,
 176 fraudesque, invidiamque, et inanis nomina famae :
 177 ridebo curas hominum vanosque labores.

CLAUDIO LALANO SODALI SUO.

P_20 v.1 Tu quoque, Lalani, versu celebrabere nostro,
 2 Lalani, egregios inter memorande sodales,
 3 quos mihi junxit amor : nos ambo fecit amicos
 4 non aetas, non sors eadem, jurata tot annos
 5 non ea quam sequimur, communis regula vitae.
 6 Haec propter, viles animae sibi foedera jurent ;
 7 nos ratio melior, nos ambo candida virtus,
 8 par studium in musas sancto nos foedere junxit.
 9 Illi carus eram, mihi carus et ille vicissim.
 10 Illius in pectus poteram deponere curas
 11 securus, nudis animamque effundere verbis.
 12 Saepe mihi medicam, dum me sors aegra teneret,
 13 praebuit ille manum, me tempestatibus actum
 14 eripuit, faciles ostendens denique portus,
 15 et me multa docens monitis implebat amicis,
 16 qua possem subitos fortunae avertere casus.
 17 Me fortunatum, solidos si ducere Soles
 18 sors mea cum tali me permisisset amico ;
 19 nam licet aequales nos fecerat una voluntas,
 20 idem animus, tamen hic paulo maturior annis
 21 me longe exsuperans morum gravitate praeibat.
 22 Ille meos primus, facilis dum flectitur aetas,
 23 optasset monitis, et sub ratione magistra
 24 frenare indociles juvenili in pectore motus,
 25 et cohibere animum multa in diversa ruentem.
 26 Si quando frenum excuterem, impatiensque doceri
 27 jussa recusarem, me liberiore vagari
 28 ingenio, raperet quo me impetus, ire sinebat.
 29 Pacatis animis, si forte quiesceret ira,
 30 tum faciles aditus, et mollia tempora captans
 31 memempe incusabat verbis haud asper amicis,
 32 addebatque minas, dulces fingebat et iras,
 33 laudabatque meae interdum bona semina mentis ;
 34 nec non, qua stimulis virtutem accendere posset,
 35 ingenuos laudabat honesto in pectore sensus.
 36 Illius ad speculum mores componere nostros
 37 ardebam ; at frustra me velle, ac posse videbar,
 38 vix ego dum leviter tentabam assurgere in auras,
 39 et mihi propositas imitando reddere dotes ;
 40 conantem necquicquam, atque ardua facta sequentem
 41 me mea linquebat medio in conamine virtus.

42 Saepe renarrabat, praeclara exorsa juventae,
 43 ut docilis semper, semper patiensque laboris
 44 hausisset varias, quas pulchre noverat, artes.
 45 Hujus crediderim Genios natalibus ultro
 46 affulsisse bonos, olli comes addita semper
 47 gratia, et in placido legitur sapientia vultu :
 48 non semper rugis, non semper fronte severa,
 49 hirsutoque supercilio ; pannisque superbit.
 50 Explicat hic frontem, et nitido pulcherrima cultu
 51 deterso squallore, suos captabat amantes.
 52 Divina pro re, pro Relligione tuenda
 53 Sorbonici, si forte Patres in proelia surgant,
 54 se parat ad pugnam Lalanus, et asper acutos
 55 exacuit calamos, immensa volumina pandit,
 56 et sua dispergit simulato nomine scripta :
 57 noctes, atque dies, indefessusque laboris
 58 explorat mentem veterum, et monumenta verenda
 59 caelestes tabulas, et magni effata Tonantis,
 60 quis mos, quae fuerit saeculis sententia priscis,
 61 et seriem rerum, diversaque tempora signat.
 62 Hinc dubia illustrat dictis, hinc sensa profunda
 63 eruit, et falsa lucis sub imagine noctes
 64 detegit obscuras, simul et caligine pulsa
 65 noscere dat purum densa inter nubila Verum.
 66 Quid referam egregias animi quas hauseris artes,
 67 Lalani ? Te quandoquidem qui praesidet urbi
 68 artificum numero e magno selegerit unum
 69 praetor, et in partem curarum onerisque vocarit.
 70 Jamdudum variis tumefactus Sequana rivis
 71 exundans late, civesque urbemque petebat,
 72 quin etiam irato rumpebat flumine pontes.
 73 Quid faciat Praetor rerum in discrimine tanto ?
 74 Quaerebat rectorem operum, insignemque magistrum,
 75 quo stolidos justis fluctus compescat habenis.
 76 Hoc opus urgebant populorum publica vota.
 77 Lalani jam jam periturae providus urbi,
 78 sese attollentes minus aequo litore fluctus,
 79 tu reprimis, laxas aditus, aperisque canales,
 80 quo jam liberius moles evolvat aquarum,
 81 paulatim, factis frangatque canalibus iras.
 82 Ni facias, totam raperet cum civibus urbem.
 83 Ibit jam propriis contentus Sequana ripis,
 84 composito fluctu, et noto nunc redditus alveo
 85 Lalanum celebrabit, et undique litora, et ipsi
 86 Lalanum fontes, Lalanum flumina dicent :
 87 vos quoque Sequanides sicco sub litore nymphae
 88 Lalano, haud solitam tali pro munere ovantes
 89 texite, quam meruit, glauca de fronde coronam.

VICTORI AUGUSTINO DE MAILLY, S. VICTORIS P. CAN. REG. ET PRIORI,
 VAURENSIUM EPISCOPO DESIGNATO.

P_21 v.1 Usque adeone nocet, quae nobis semper amica
 2 profuerat sacris penetralibus abdita Virtus,
 3 jam nimium manifesta ? Oculis minus aspicit aequis

4 nos Deus, heu tales luimus quo crimine poenas !
5 Eripitur nostrae decus admirabile gentis,
6 et pars magna domus, Juvenis, quem nomine tantum
7 audito seri cupiant vidisse nepotes.
8 Ille exsultantis sub tempora prima juventae,
9 aetatem supra, monitis caelestibus actus,
10 fallaci non proripuit se credulus Aulae ;
11 Non illum gentile decus, non splendor avorum,
12 non Regis favor, et ridentis munera certa
13 fortunae, nec opes variae, nec mollior aetas
14 inflexere, sacer quo Spiritus impulit, ardet
15 ire, tuasque acies, tua castra, tuosque labores
16 Christe sequi, non ille atavis heroibus impar.
17 Ardua mox quaeque aggreditur ; stat tendere Olympo
18 per durum virtutis iter, perque aspera bella ;
19 non partas ferro, neque tinctas sanguine palmas,
20 caelestes palmas, sacrosque referre triumphos.
21 Felix nostra domus, quam longe ex omnibus unam
22 ante habuit, fuit haec sanctae prima area pugnae ;
23 huc Virtus, Pietasque comes supera alta petentem
24 deduxere : suos olli monstrarat alumnos,
25 tot decora antiqua et praeclarae insignia gentis,
26 facta tot heroum, quos vel luctantibus annis
27 jactat adhuc, caput attollens rediviva Vetustas.
28 Hic ubi successit sanctis novus aedibus hospes.
29 Colluxit late domus omnis, et hospite tanto
30 major visa sibi, atque ingentis conscia famae,
31 ipsa recognovit, quibus olim effulsit, honores.
32 Sic ubi pictus ager, vario qui flore superbit,
33 delituit dubiae sublustri noctis in umbra :
34 si lucem accipiant Phoebi redeuntis amicam
35 non adeo noti flores, redit aureus horto
36 splendor, honorque suus ; sensim demissa videbis
37 tollere humo capita, suetosque resumere vultus.
38 Quid tenerae aetatis primos describere pergam
39 conatus ? Quis in ore pudor, quam candida morum
40 simplicitas, quis amor recti, et quo pectus honestum,
41 illecebris captum melioribus, arserit igne ?
42 Quid referam posito ut fastu, metuensque videri
43 exueri titulos, et nomina magna, parentes,
44 Malliadas pulchra bellorum laude superbos.
45 Longe alios animi exsuperans affectat honores.
46 Vix lectoris eget, qui se virtute magistra,
47 qui socia ratione regit, juvenilibus annis
48 praeficitur juvenum turbae, dum cerea corda
49 in melius flecti accipiunt praecepta, regendae.
50 Clara rudimenta, et magnae certa omina sortis.
51 Illius ad speculum visi componere vultus,
52 paulatim juvenilem animum in diversa ruentem
53 et regere, innatumque diu desuescere morem.
54 Poscitur ad majora. Patres de more sedebant
55 concilio in magno, votis concordibus unum
56 elegere ducem ; juveni se subdere gaudet
57 canities veneranda : pudor licet arguat intus,
58 nec non et rugae contracta in fronte seniles.
59 Illius affusos pedibus jurare videres

60 obsequium aeternum, legesque et jura volentes
61 accipere, ad cunctos dociles se fingere nutus.
62 Multa reluctantem, nobisque, sibique timentem
63 acrius urgemus ; pugnatur, at ille petentum
64 nil cedit precibus, lacrimisque decorus honestis
65 ultro concessos fugiendo meretur honores,
66 heu nimium sibi diffisus ! Nos blandius illum
67 hortari, interdum et dulces miscere querelas.
68 Testis eram : quales sensi sub pectore motus !
69 O Superi ! Rebus nos respexistis in artis,
70 annuit, et lacrimans lacrimantum vota suorum
71 vi blanda victus caelo suadente secundat.
72 Tunc dubias penitus subeunt nova gaudia mentes.
73 Post longas hiemes, post atrae nubila brumae,
74 sic redeunt laeti verno sub tempore soles.
75 Ille novo clarus titulo non se altior effert,
76 se cunctis facilem, se cunctis praebet amicum,
77 illaesa semper morum gravitate serenus.
78 Nulli se meritis et magnis dotibus aequat,
79 officio certans, et sic mage dignus amari.
80 Discite vos, quibus est ultro concessa potestas,
81 tollentes capita alta, feros deponere vultus,
82 dura supercilia exuere, et sub fronte modesta
83 virtutem aetheream blandis accendere verbis ;
84 et vos ne teneat dominandi insana cupido
85 servire indociles, semper dare jura paratos.
86 Quam melius mentes sibi conciliare merendo
87 rector amat juvenis ! Rugis confisa vetustas
88 ostentans canos, libro monstrabat aperto
89 observata diu veterum sanctissima Patrum
90 edicta, et prisco bene natas tempore leges,
91 relliquias dulces aevi melioris, avitae
92 custodes pietatis et exemplaria morum.
93 Implorabat opem supplex, pateretur honores
94 hactenus illaesos servari ; hic Numine plenus,
95 ne quis honorato vigor excidat, aut decus aevo.
96 Annorum cana se majestate ferentem
97 excepit seniore, animosque resumere jussit.
98 Scilicet antiqua nil quicquam e lege remisit
99 et recti Justique tenax. Si justa petantur,
100 mitis erat ; durus contra minus aequa petenti,
101 ipse sibi semper similis, vel rebus in artis
102 aequam servabat tranquillo in pectore mentem.
103 Si quando altarum perpendit pondera rerum,
104 mente inconcussa jura intemerata tuetur.
105 Illius in vultu sese sapientia terris
106 exhibeat, nostros optet si sumere vultus ;
107 non rugis semper, non semper fronte senili
108 illa sedet, longe antevenit, neque computat annos.
109 Vidimus hunc clavo affixum, puppique sedentem,
110 observare auras omnes, atque arte magistra
111 tristes per scopulos, tot tempestatibus actam
112 difficilem ad portum tuto deducere navim,
113 et tanto rectore omnes posuisse procellas,
114 et rediisse dies discussa nube serenos.
115 Hinc crevit pietatis amor, mens omnibus una,

116 idem animus, constansque fides, eademque voluntas.
 117 Visa serenato labi Pax aurea caelo :
 118 jungimus unanimes aeterna in foedera dextras.
 119 O ! Duce sub tali me vivere fata dedissent !
 120 Illius et voces audire, capessere jussa,
 121 non ego traxissem primos inglorius annos ;
 122 vos, dulces Musae, quae me florentibus annis
 123 perpetuae comites, dulcem nutristis alumnum,
 124 heu, vatis sortem non flevissetis iniquam.
 125 Ille animi dotes, tenerae bona semina mentis
 126 laudasset bonus, et jam tum juga vestra petentem
 127 quo me, Pierides, vos illo ornasset honore.
 128 Hujus ad aspectum nemo tam pectora durus,
 129 nemo adeo indocilis, qui non mitesceret ultro
 130 tractari patiens, et jam virtutis amator.
 131 Oris tantus honos, tanta est reverentia vultus !
 132 Dulces insidiae, pulchrae Pietatis et artes !
 133 Tuta sub hoc vultu Virtus se austera tegebat.
 134 Primus iter calcare, viamque aperire sequenti,
 135 exemplo facilem, duce quo laetissima turba
 136 ad solitum munus non lentis passibus ibat ;
 137 et pudor est non sponte sequi : dum praevious ipse,
 138 attollensque facem nos accendebat inertes.
 139 Quid memorem curas, exantlatosque labores ?
 140 Hunc quoties languentem et anhelum pectore vidi,
 141 per jejunia longa, per atrae insomnia noctis,
 142 stare tamen mente immota, et non cedere morbo ?
 143 Et memini, paene exanimis cum forte jaceret,
 144 sublatis ad caelum oculis, te, Christe, vocabat,
 145 sperabatque mori, vitae melioris amore,
 146 ridebat curas hominum vanosque labores,
 147 et peritura brevi caecae mala gaudia mentis,
 148 magnanimus contemnere opes, contemnere honores.
 149 Simplicitas, olli ornatus, vilisque supellex
 150 barbaricos hebetat, vana ornamenta, tapetas.
 151 Quin humilis casa, Malliacas supereminet aedes.
 152 Pro turba famulantum, et conspicuo comitatu,
 153 astabat lateri fido comes unica Virtus ;
 154 talem Vaureses nobis rapuistis amicum. ,
 155 Crudeles ! Dum cuncta favent, dum pace sub alta
 156 degimus unanimes, et eo rectore beati.
 157 Dum loquor, ecce sacra radiantem tempora mitra
 158 te cupidae exspectant laetis cum civibus urbes.
 159 Et jam creber iit longinqua per oppida rumor,
 160 te prope adesse, novos tam fausti sideris ortus
 161 suspiciunt procul, et te altis de turribus omnes
 162 jam jam adventantem festo clamore salutant,
 163 praesul sancte, tuos differs ostendere vultus,
 164 et tibi commissam lustrando agnoscere gentem ?
 165 Quamquam gens potuit, damno laetissima nostro
 166 hanc poenam meruisse : moras tibi nectere nostrum est,
 167 quando tuo datur aspectu, et quo cuncta serenas,
 168 ore frui, magni solacia parva doloris.
 169 Quod tibi si durum est discedere, quam acrius urit
 170 discessus, caros qui te lugemus amicos !
 171 I tamen, atque tuas ut primum intraveris urbes,

172 quot plausus populorum ! Avidi te cernere cives
 173 per fora, perque vias, et sancta ad limina templi,
 174 confusi sine lege ruent, laetique redibunt.
 175 Nec te tum pigeat, magnis Vir debite fatis,
 176 nos quibus unanimes rexisti, legibus iisdem
 177 et populos regere, et pulchro indulgere labori.
 178 Hic erit ille tibi facilis labor, omnia quando
 179 in melius mutata, inter tot pondera rerum
 180 respirare dabunt, sacris cultoribus agrum
 181 florentem aspicias, felices crescere plantas,
 182 atque tuo de fonte virescere cuncta videbis.
 183 Nec tamen haec adeo teneat te sedula cura,
 184 quin nos respicias aliquando, memorque tuorum
 185 atque Domus, merito matrem quam jure vocabis.
 186 Illa fuit, dices, ubi me lustralibus undis
 187 immersit ter me attollens pro more sacerdos,
 188 et Christum induere et terras dediscere jussit.
 189 Illa sinu me fovit, et olim exceptit alumnum.

VICTORINUS VINDICATUS.

P_22 v.1 Fletus pone tuos, et jam compesce querelas,
 2 Victorina domus : laesi reparantur honores,
 3 quando tui venit in partem Sorbona doloris.
 4 Illa tibi sacro jamdudum foedere juncta
 5 abstulit opprobrium, gremioque exceptit amico,
 6 quem tu lacte pio fovisti mater, alumnum.
 7 Hunc ceu degenerem Doctorum expunxerat albo
 8 inconsulta manus, juvenemque ad grandia natum,
 9 nitentemque polo, et jamjam celsa astra tenentem,
 10 praecipitem dederat, doctae in ludibria turbae.
 11 Non secus ac volucris, quae nidum egressa, probatis
 12 exsultans pennis, caelo se credit aperto,
 13 summa petit ; si forte illam supera alta petentem
 14 plumbea glans figat, praeceps ruit aethere ab alto.
 15 Flebit triste gemens totis exterrita silvis
 16 turba omnis volucrum, sociamque dolebit ademptam.
 17 Spe lusum juvenem sic vos flevistis amici.
 18 Palluit ad facinus, tumuloque resurgere ab imo
 19 visus Hugo, et docti venerabilis umbra Richardi ;
 20 quotquot et insignes pietate, altisque superbi
 21 nominibus, quos jactat adhuc rediviva Vetustas,
 22 infremuere cavis, gemitumque dedere sepulcris.
 23 Circum claustra domus, loca sancta, et pulpita circum,
 24 errabant umbrae ingentes, et longo ululatu
 25 duram infelicis sortem indignantur alumni.
 26 Ille verecundo similis, similisque gementi,
 27 vix caelo audebat maestos attollere vultus.
 28 Presserat ora dolor ; nos illum blandius omnes
 29 hortari, et verbis virtutem accendere amicis ;
 30 speraret meliora, animosque resumeret ipso
 31 e casu, lauros alias, aliasque coronas,
 32 praemia virtuti superesse, et viribus audax
 33 fideret ; hoc pietas velit, et sua gloria poscat.
 34 Annuit, atque novae se audet committere pugnae.

35 Hos animos dabat ira, pudorque, et conscia virtus.
36 Dicta dics aderat, Sorbonae limina sacra
37 panduntur, densis itur per compita turmis ;
38 Sorbonici venere Patres, venere Navarri,
39 atque Choletenses, et acuti montis Alumni,
40 Plessaeique, et Bellovaci, Baiique, Remensesque,
41 Harcurii, et Senones, et liligeri Grasinai ;
42 et quos purpureo Romae insignitus honore
43 fundavit Monachus Romano e cardine dictos :
44 quique Becodinas, ubi mons caput arduus effert.
45 Incolitis sedes, habitata palatia Muis.
46 Vos quoque, suspensas auriti ad fluminis undas,
47 claros qui juvenes doctas formatis ad artes,
48 venistis, studiis accensi aequalibus omnes.
49 Venit et ipsa etiam brevibus gens tecta cucullis,
50 nudipedes fratres, et torta cannabe cincti,
51 aure patente omnes, tonsi et brevior capillo,
52 e Franciscana praeclari stirpe nepotes.
53 Tuque aderas bicolor, nudus caput, ora superbus.
54 Dominicane, sacri non ultima gloria coetus.
55 Atque etiam genus Eliadum, nec naris obesae,
56 Carmeli niveis in vestibus incola montis.
57 Et se Augustino qui jactat Patre creatum.
58 Vidi avidos vultus, et mentem pasta chimeris
59 spectra Hybernorum turmatim invadere portas.
60 Non aberat Latius Faber ; et mea cura, Camillus ;
61 hic pulmonis egens, pinguisque, et mole sua stans,
62 caelesti gravis eloquio, tibi Guetto, favebat
63 jamque tuus votis, dum alter, ceu corporis expers,
64 umbraeque assimilis, varios prona aure bibebat
65 rumores, lux Sorbonici et pars magna senatus.
66 Ordine quisque suo, et propria statione sedebat ;
67 tardigradis cum vectus equis, curruque gemente.
68 Et baculo innitens, lentusque tremente senecta,
69 pileolo aurito tectus venit ipse verenda
70 majestate senex, venienti assurgere circum
71 quotquot erant trabeati antiquo e more Quirites.
72 Hic attentis omnes, qualem in certamine aperto
73 se juvenis tot iudiciis, doctisque magistris
74 assereret, sua jura tenax apprima tueri.
75 Illum omnes admirari responsa ferentem,
76 solventem rerum ambages, nodosque secantem,
77 et lucem obscuris, et dantem pondera rebus ;
78 mirabar, sortemque ultra, captumque juventae,
79 paene suis etiam dantem praecepta magistris :
80 testis eram, plausu domus omnis, et aula fremebat ;
81 antiqui Sorbona memor tum foederis altum
82 extulit os, vultuque serenior, optima mater
83 in juvene egregio redivivum agnovit Hugonem.
84 "Fletus pone tuos, et jam compesce querelas,
85 Victorina dumus : laesi reparantur honores."
86 Dulce tibi doluisse ; breves Sol ipse labores
87 interdum patitur, Lunae per furta malignae.
88 Jamdudum illa suo nimium soror aemula fratri,
89 corporis objectu radios intercipit omnes.
90 Non longum vaga Luna tuo laetabere furto ;

91 scilicet obsessus, premitur qua parte, repellit.
 92 Sol noctem oppositam et tandem sese approbat Orbi
 93 Luna fugit, Phoebi impatiens, et se abdit in umbris.

LUD. DE BAILLEUL IN SENATU GALLIARUM SUPREMO PRAESIDI INFULATO.

P_23 v.1 Quis novus hic nostras splendor se fundit in aedes ?
 2 Collucet domus omnis, et hospite laeta superbo
 3 visa mihi solito major ; tua maxima virtus,
 4 nescia nocte premi, vir laudatissime, Praeses,
 5 scilicet emicuit, tu vultu cuncta vel ipso,
 6 sed magis innata morum gravitate serenas,
 7 nosque adeo imprimis, dum nostris sedibus hospes
 8 succedis novus, et fata in meliora reponis.
 9 Per te se agnoscit, per te sibi conscia famae
 10 Victorina domus, titulis majoribus aucta,
 11 nunc decus antiquum, priscosque resumpsit honores.
 12 Sic ubi post longas hiemes, et tempora brumae,
 13 accepto interius jamdudum semine tellus.
 14 Promittit densam segetem ; de nube serena
 15 si radios Titan genitalibus exerat arvis,
 16 spes oritur, redit agricola, incoeptosque labores
 17 ipse recognoscit, nec jam minus illa tepenti
 18 sole novo gaudens se sponte, sinusque relaxat ;
 19 tum suus excultis sese decor explicat arvis.
 20 Est prope Parisios longo spectabilis aevo
 21 sacra domus, sancti quondam domus hospita veri.
 22 Illa in secessu domina distabat ab urbe,
 23 paulatim admotis jam tum contermina muris.
 24 Hanc Franci Reges, Francorum e gente vetusta
 25 regifico sumptu, et magnarum more domorum,
 26 fundavere, novis certatim auxere nepotes
 27 muneribus, Regum praeclara exempla secuti.
 28 Has habitare piis fundatas Regibus aedes,
 29 heroi placuit, sancti dux optima coepti
 30 relligio fuit, huic comites, Pietasque, Fidesque,
 31 castus amor Recti, et mentis sincera voluptas.
 32 Contra obnixa, ferox, et vano turgida fastu,
 33 qua posset placidis intrantem avertere tectis,
 34 ambitio memorabat avos, memorabat avitas
 35 virtutes, titulos, tot nomina clara parentum,
 36 omnes Balliolos, sancti capita alta Senatus.
 37 Tempora dinumerans, longoque ex ordine texens
 38 armatam in bello, gentemque in pace togatam,
 39 et galeas, clipeosque, et scuta, et tympana, et enses,
 40 exuvias belli ingentes ; simul illa vicissim
 41 fulgentes trabeas, fasces, sellasque curules,
 42 stemmataque, et geminas librans examine justo
 43 monstrabat, Themidis praeclara insignia, lances.
 44 Nec minus, utque tua te totus imagine pascas,
 45 te tibi pingebat ; tua late ingentia facta,
 46 illam, illam imprimis, qua devincire merendo
 47 et populos gaudes, et Regem, omnemque Senatum,
 48 ingenitam probitatem animi toto ore sonabat.
 49 Quin etiam illa novos nati surgentis honores,

50 spem Themidis, generisque tui indignata notabat.
 51 His super addebat, quae celsa palatia linqvis,
 52 auratasque trabes, laquearia picta, superbae
 53 tot varia ornamenta domus, Phrygiosque tapetas,
 54 aurea vasa, cavo pendentes fornice lychnos.
 55 Necquicquam, stat mens eadem, stat fixa voluntas.
 56 Sepositis interdum animi tranquilla per alta,
 57 secessu in placido praefers sacra otia curis :
 58 et strepitu procul urbis, et illaetabilis aulae,
 59 laetus amas nostris succedere sedibus hospes.
 60 Sic Numa, sic solitus silvas habitare silentes,
 61 dum componendae leges praescriberet urbi :
 62 purior hinc animus, terrenae molis et expers
 63 cunctarum observat prima exemplaria rerum.
 64 Haec tua sors ; alios ludicra, et fluxa morentur,
 65 tu Veri puros latices, tu sacra fluenta
 66 plena Deo securus adis, tu lumine vivo
 67 pasceris, ante diem patrii novus hospes Olympi.
 68 Hinc rectique, bonique, vel a te quidquid honesti
 69 exit, inexhaustis longe ante in fontibus hauris.
 70 Has spargis late populis sitientibus undas,
 71 ut speculi cavus orbis, ad alti lumina Solis,
 72 undique diffusos in sese colligit ignes,
 73 quos dein in terras majori ardore rependat.
 74 Nec tibi sat prodesse aliis, descendis ab alto
 75 interdum solio Themidis, tibi redderis ipsi,
 76 tecum habitas, celsa primus tu mentis in arce
 77 ipse tui iudex, morum censorque tuorum.
 78 Sic prudens temet solito furare labori
 79 nil ut Gallica res damni experiatur, in omnes
 80 partitus curas, mentis blanda otia servas,
 81 redditus his tectis, ubi pax tutissima regnat,
 82 surgis in exemplum patribus, propiusque tuentes
 83 quod vellent imitari ! At non imitabile, laudant.
 84 Nos molli interea quotquot meditamur in umbra
 85 suspicimus tantos animi cum pace labores.
 86 Ac velut extremo dudum ex oriente profecta
 87 fefsa ratis, quaerit placidos irrumpere portus,
 88 quando agit excubias puppi si rector ab alta
 89 observet positos summis sub turribus ignes,
 90 frustra obstante mari, frustra obluctantibus austris,
 91 advolat, et laxis in litora fertur habenis.

DRYADES AGRI BELLEVRAEI AD P. BELLEVRAEUM SYLVA.

P_24 v.1 Grynaeis nuper ludebant Naiades hortis,
 2 perque novos fontes, per stagna sonantia rivis
 3 ducebant hilares caelo ridente choreas,
 4 cum Dryadum tristes media inter gaudia luctus
 5 audivere : gravi resonabant murmure valles ;
 6 jussae quippe suis Dryades discedere silvis,
 7 nec jam populea redimitae fronde capillos,
 8 vitam infelicem sterili sub rupe trahebant.
 9 Hic aderat Dryadum quondam Belevraeus amores,
 10 nunc dolor ; ille novos fontes, nova stagna revisens,

11 addere praeclaros hortis properabat honores.
 12 Ut videre, cavis erumpere protinus antris,
 13 et questus iterare, haesit perterritus heros.
 14 Adstitit extemplo latis quae praesidet arvis
 15 multa gemens vicina Dryas, demissaque vultus
 16 conticuit primum ; mox ut data copia fandi,
 17 tunc Dominum visa est his compellare querelis.
 18 "Si, Belevraee, tui tangit te gloria ruris,
 19 respice nos, neque enim silvestria numina temnis :
 20 te juvenem quondam, te vidimus alta petentem
 21 silvarum deserta, diuque e cortice hiulco
 22 vidimus antiquis scrutantem abscondita libris.
 23 Tum tibi Musae omnes, tibi tum Grynaeus Apollo
 24 atque aderant quotquot Latii, Graiique poetae,
 25 centum oratores : nostra tu lentus in umbra
 26 curarum strepitu procul, amplexique tuorum,
 27 nunc hos, nunc illos intenta mente legebas.
 28 Quod si forte viae fessum te silva videret
 29 arboris acclinem trunco, sese undique silva
 30 curvabat circum, et ramo frondente coronam
 31 aptabat capiti, et dulci plaudebat alumno.
 32 Hasne memor tanto reddis pro munere grates ?
 33 Pro nemore umbroso, pro frondiferis salicetis,
 34 cogimur, heu ! miserae nudos habitare recessus,
 35 et dura exilia, atque alienas quaerere sedes ;
 36 non ita nos Avus ille tuus, quem pondere fessum
 37 curarum, molli toties accepimus umbra :
 38 non ita nos durus Grynaeis expulit agris.
 39 Olli plus nemora et colles, vallesque placebant,
 40 quam foribus domus alta, pavimentoque superba
 41 porticus, et variis radiantia tecta figuris,
 42 illic difficiles Regni tractabat habenas.
 43 Sic Numa, cum magnae leges praescriberet urbi,
 44 quaerebat nemorum loca sola, et valle profunda
 45 indigetis Nymphae meliori numine plenus,
 46 dictabat Latiae memoranda oracula genti.
 47 Vos, Dryades, vidistis enim, dum bella fremebant ;
 48 bella per Euriacos fama notissima campos.
 49 Ille quidem secum bellantum fata volutans,
 50 audiit ut saevi mugire tonitrua Martis,
 51 unde sonant silvae, rerum in discrimine tanto,
 52 res sacra civili ferro decernitur", inquit.
 53 Haec dicens procumbit humi, manibusque supinis
 54 ipse inter Natos medius Pater, auspice caelo,
 55 pro Rege et Regno, pro Relligione tuenda,
 56 orabat multa obtestans, Superisque litabat.
 57 Hinc monitis Divum tandem melioribus actus
 58 Gallorum proceres, quos egerat undique terror ;
 59 firmabat placans animos, absensque regebat
 60 jamdudum incerto scissum pro Rege Senatum ;
 61 tunc, si vera fides, et adhuc credenda vetustas,
 62 fatidicae, ut quondam, fudere oracula quercus
 63 has tamen, has ferro gaudes praescindere quercus.
 64 Crudelis ! Nec nostra movent te vulnera, nec quae
 65 fundimus expulsae patriis suffpiria silvis :
 66 nunc te Naias habet, Naias tua maxima cura,

67 huic grandes thalamos, huic magna cubilia ponis ;
 68 attollisque novos et vestis marmore fontes ;
 69 dum nos insequeris ferro, magnamque verendis
 70 das stragem late arboribus, silvasque revellis.
 71 Vidi ego seclusis ulmum frondescere campis ;
 72 hanc non durus Ilax, non ipse bipennifer Algon
 73 audebant jam tum refuga violare securi,
 74 annorum tanta se majestate ferebat !
 75 Hanc vidi excisam, vidi crudeliter ulmum,
 76 et Dryadem rupto sub cortice forte latentem
 77 ingemere, et largum late effudisse cruorem.
 78 Riserat illa prius dira inter fata sororem,
 79 testis eram, memini, tua verba his auribus hausi :
 80 "Par, inquis, te poena manet, mulctabere Nympha,
 81 alterius rides jam jam caesura ruinam."
 82 Nunc maerens habitat rupes, ulmumque reliquit ;
 83 et quereris quod nulla tuis tibi floreat arvis
 84 quamprimum moriens primis in frondibus arbor ?
 85 Audiit haec ruris Dominus, jam paenitet acti,
 86 spondet opem, vocat agricolas, mandatque patentes
 87 arboribus serere, et versare ligonibus agros.
 88 Huc Moeris, Lycidasque venit, venit ipse Palaemon ;
 89 explorant geniumque loci, mox ordine longo
 90 ulmosque, et tiliias ponunt, et stagna coronant.
 91 Longos per tractus, lati per jugera campi,
 92 spem silvae ingentis, teneras sub viscera terrae
 93 infodiunt glandes, plantasque a matre recisas,
 94 hic ornos, et castaneas, hic robora plantant,
 95 et glaucas salices : fervent cultoribus agri,
 96 quin Dryades nudis media plus parte lacertis
 97 incumbunt praeclaro operi, silvasque reponunt.
 98 Tantus amor ! Tanta est reparandi gloria ruris !
 99 Plaudite nunc Dryades, Belevraeo plaudite Nymphae,
 100 ille dat antiquas vobis jam cernere sedes,
 101 dat saltus habitare novos, de munere tanto
 102 certatim viridem ramis aptate coronam :
 103 tempus erit vestris, quo carmina laeta sub umbris
 104 cantabunt vates, adero Santolius, omnesque
 105 hic aderunt Musae, vicini et numina ruris.
 106 Tum Belevraeum omnis, Belevraeum silva sonabit,
 107 illum dum Populi, magnae dum plausibus urbes
 108 ostendent seris exemplum imitabile saeculis.

H. BIGNONIO S. CONSISTORII COMITI,
 POST RESTITUTAM LEMOVICIBUS, PICTONIBUS ET SANTONIBUS JUSTITIAM,
 REVERTENTI.

P_25 v.1 Ecce redis dominam, Bignoni, laetior Urbem ;
 2 nuper discedens tu quoque laetus eras.
 3 Numquam te nati tenuere, tenella nec uxor,
 4 illecebris quem non sisteret illa suis ?
 5 Vulgares animas teneant haec dulcia vincla,
 6 otia magnanimos dedecuerunt viros.
 7 Te magis urgebant regalia jussa, tuusque
 8 in Regem, in leges, obsequiosus amor.

9 Nec procerum quamvis solito, gravis ille Senatus
 10 sit, te absente, minor, te revocare potest.
 11 Ad Clanim tractanda vocat res ardua Patres,
 12 continuo peteris, te petit ipsa Themis.
 13 Te tanto in procerum comitatu optaverat unum
 14 imprimis, tali tuta patrocinio.
 15 Speravit laesos impune, resumere honores,
 16 Bignoni, auspiciis facta superba tuis.
 17 Si quando altarum versaret pondera rerum,
 18 grande foret, te non consuluisse, nefas.
 19 Sic discedentem vix te mea Musa dolebat.
 20 Quae prosunt aliis, me mea damna juvant.
 21 Nec tranquillum animum, nec gaudia nostra, querelae,
 22 turbastis, vetuit publica causa queri.
 23 Tecum ibat magni venerabilis umbra parentis,
 24 te sequitur semper fida, comesque monet.
 25 Te Pietas, te sanctus Amor rectique bonique,
 26 te legum ambibat grande satellitium.
 27 "Omnes inde boni sperate, timete rebelles ;
 28 ut vos certa salus, vos ita poena manet."
 29 Ibat et egregius juvenis, qui passibus aequis
 30 jam patrem ardebat natus, avumque sequi.
 31 Proelia sic tenero meditans leo parvus ab unguem
 32 ingentes animos a genitore capit.
 33 Pro patria intrepidus regalia justa ferebas,
 34 terribilis legum nempe satellitio.
 35 Non ita bellaror saevis metuendus in armis
 36 tendit ad hostiles, laudis amore, plagas.
 37 Pictonicas dicunt famam vulgasse per urbes,
 38 te scelerum ultorem, te nec abesse procul.
 39 Illa tuum nomen resonabat, et ardua facta,
 40 facta, quibus sese tollit ad astra Themis.
 41 Et memorabat uti causas juvenilibus annis
 42 orando, patribus jura suprema dares.
 43 Ut dubias quandoque tuo pro munere lites
 44 librares, aequa jura tenente manu.
 45 Mox rapido eloquio, et certatum pondere rerum
 46 pertraheres victos in tua sensa Patres.
 47 Ut te dicentem Themis admirata, putaret
 48 in nato totum se reperisse patrem
 49 laudabat constantem animum, moresque severos,
 50 pectus et illaesum, magnanimamque fidem.
 51 Talia vulgabat rumor, simul antra petebant
 52 Tartareae pestes, et sata nocte cohors.
 53 Et fugere procul positis mendacia larvis,
 54 quaesiit et noctem Fraus maletuta suam.
 55 Conscius et iudex accepto palluit auro,
 56 non jam securus, turpis adulter erat.
 57 Invasor thalami mox detestatur amores
 58 illicitos, semet iudice quisque timet.
 59 Heu ! Si ad prima tuae terrentur murmura famae ;
 60 alto quos latitans pectore culpa premit :
 61 ecquid erit, cum frontem augustam, atque ora videbunt ?
 62 An poterunt vultus fulgura ferre tui ?
 63 Dum trepidant omnes, venistis curia Patrum.
 64 Lapsa polo in terras sic Themis alma redit.

65 Hic, Fiubete, aderas, praesesque, caputque Senatus,
 66 nostrum dulce decus, tu quoque Pelteride.
 67 Limina panduntur Themidis, subsellia longa
 68 implentur numero, jam fora rauca sonant.
 69 Regius orator, juvenis, patre iudice causas
 70 dicebat, dicentem obstupere Patres.
 71 Quanta olli gravitas, verbis quod pondus, et alto
 72 pectore quis sensus, quantaque mens habitat !
 73 Tunc nova fit rerum facies, redit optimus ordo,
 74 pulsa fraude, redit civibus alta quies.
 75 Rixasque, et lites, et bella forensia ponit
 76 gens fera, jam mitis, jam patiensque regi.
 77 Inde triumphali revehit te gloria curru,
 78 inde tuo reditu nosque tuosque beas.

AD BIGNONIOS, HIERONYMI FILIOS,
 QUORUM DUOS THEMIDI, TERTIUM CASTRIS, QUARTUM ECCLESIAE DICATOS,
 LAUDAS AB INSIGNI PIETATE ET ELOQUENTIA.

P_26 v.1 Terras, o Superi ! Non deseruistis iniquas.
 2 Bignonios sperare datur ; rectique, bonique
 3 sanctus amor, sincera fides, rediviva parentum
 4 et pietas, isto, quo me permittitis, aevo
 5 degere, fraus quamvis fremat indignata, vigebit.
 6 Nonne vides, magnis ut patrem passibus aequent
 7 vel juvenes ? Ut avi quae saepe occurrit imago,
 8 exstimulet natos, et honesti accendat amorem.
 9 Se probat in natis pater, et se totus in illis
 10 contemplatur avus ; quid non sperare licebit ?
 11 "Terras, o Superi, non deseruistis iniquas."
 12 Fortunam captent alii, et mercede favorem
 13 conducti sibi concilient, et munera quaerant,
 14 unde salus populorum, et pendent publica fata,
 15 in saeculi opprobrium, turpi venalia quaestu.
 16 Bignonidum virtus pretium est ; male venditur auro,
 17 quod merito Themis assereret, tamen unde superbit
 18 fraus trabeata, suo tuta, et crudelis honore.
 19 Insignes titulos patriis virtutibus emptos
 20 obtineant seri generosa hac stirpe nepotes.
 21 Sic statuit Rex ipse, nec immemor, optima legum
 22 custos, sancta Themis quantos deberet honores
 23 Bignoniis, servare haec munera. Publica natis
 24 ambiit, hanc mentem Lodoico afflaverat aequam
 25 dum leges reparavit iniquo tempore lapsas.
 26 Obtinuit causam, viden' ut regalia jura
 27 crediderit juveni, solo vel nomine tuta ?
 28 Si quis vel pretio, caecisque favoribus Aulae
 29 promissam natis sedem hanc invaserit audax,
 30 "Terras, o Superi ! permitto, relinquite iniquas."
 31 Quamquam ! O nunc Superi terris assuescite nostris ;
 32 Bignonios faciet non una prole parentes
 33 divus amor, vos mecum omnes celebrate Hymenaeos,
 34 quales ipsa Themis, si non exosa fuisset
 35 mortales thalamos jamdudum virgo, reposcat.
 36 Nos pede festino properemus, adire juvabit

37 Bignonias, Astraea sibi quas vendicat, aedes.
38 Perfidiae, fraudes, mendacia turpia larvis,
39 mostra fori, pestes Erebi, litesque malignae,
40 mille nocendi Artes totis abscedite tectis :
41 non licet ah ! vobis tam castum insistere limen,
42 "Terras, o Superi ! non deseruistis iniquas."
43 O quales sponsi ! toto quis fulget in ore
44 ingenuus pudor, atque modestia juncta pudori,
45 quae gravitas, trepidoque favens et amica clienti !
46 Jam video valvis intrare haec limina apertis,
47 non jam sollicitos de lite, suoque superbos
48 jure, sibi procerum non implorare favorem,
49 improba quos fortuna satis commendat, et urget.
50 Accipite haec trabeati omnes, Themidisque togatae
51 purpurei proceres, sancti capita alta Senatus,
52 quam faciles aditus, quam mollia tempora fandi,
53 repperiet quicumque miser, qua fronte serenus
54 demissoque supercilio tractabilis audit
55 Bignonus dubio natus de jure querelas.
56 Jam non invideo, quos tempora prima tulere
57 magnanimos Heroas, et hunc, quo sidera adibant
58 candorem genuinum animi, moresque pudicos.
59 Ecce venit rediviva fides, probitasque parentum ;
60 dulces relliquiae, et prisca vestigia moris.
61 "Terras, o Superi ! non deseruistis iniquas."
62 Quo rapior ! Non sola Themis sibi vendicat omnes
63 Bignonos ; Bellona sibi aequo jure reposcit
64 hunc juvenem, quem castra ducem glomerata sequuntur,
65 purpureos non ille togae affectavit honores,
66 bellica laus placet una, forensia bella reliquit ;
67 Haec aliis, leges et Regia jura tuentur,
68 dum capiti galeam, laterique accommodat ensem.
69 Nec tu, Relligio, fueris postrema, tot inter
70 Astraeae claros proceres ; hunc prae omnibus unum
71 suspice, nam ex illo qualis tibi gloria surget ?
72 Salve, o Bignoniae decus admirabile gentis,
73 orator sacer, e puris qui fontibus haustum
74 Reges ante ipsos numquam violabile verum
75 fluminibus verborum, et majestate tueris.
76 Non ignota cano ; testis Rex ipse loquentem
77 obstupuit nuper, verbisque excepit amicis
78 pandentem altarum penitus mysteria rerum.
79 Vis quanta ingenii ! Et castae quae gratia linguae !
80 Excipiunt avidi caelestis semina flammae,
81 verba aeterna, ipso quondam dictata Tonante,
82 et populi et Reges ; facilem sese omnibus aptat
83 pro vario captu, et formas simul induit omnes.
84 Lac puero imbelli sic exprimit optima nutrix,
85 postquam fortem escam domuit, stomachoque subegit.
86 Hic te praetereo, tantae lux maxima gentis,
87 non laudum patiens, quas dum fugis, ipse mereris.
88 Sed jam Musa tace ; liceat nimis esse modestum.
89 "Terras, o Superi ! non deseruistis iniquas."

JAC. BENIG. BOSSUETUM EPISCOPUM CONDOMENSEM
DELPHINI FRANCIAE LITTERARUM MAGISTRUM.

P_27 v.1 Ridebas nuper plaudentes inter amicos,
2 praesaga dum mente augur mea Musa canebat,
3 te fore Delphini, sic Rege volente, magistrum,
4 promissumque diu, nunc fata reposcere nostra ;
5 at, Praesul, nil de te ausus praesumere quicquam
6 ridebas vana auguria, et mendacia vatum ;
7 et tamen hanc sortem meritis ingentibus imples.
8 Scilicet is, quem sceptrata manent, crescentibus annis,
9 Borbonia de stirpe, tuo penderet ab ore
10 inciperetque tuis oracula fundere verbis,
11 regius ille puer, Franci spes altera regni.
12 De te, et Delphino, quid non sperare licebit ?
13 Unus, qui procerum numero selectus ab omni
14 praeficeris tanto dignus praeceptor alumno ;
15 ingens depositum, quis honos ? Tibi creditur uni
16 unus Regni haeres, Lodoici maxima proles.
17 Hanc regalem animam, quam de patre plurimus hausit,
18 regales addens animos, servare docebis.
19 Per populos Lodoix victor det jura subactos ;
20 et domitas ferro, regat aequis legibus urbes,
21 Delphino tu jura dabis, tecumque magistra
22 informans puerilem animum sapientia finget,
23 fors tibi Delphinus dabit olim jura magistro.
24 Jam juvenem aspicio per mille pericula Martis,
25 thoracas, clipeos sibi poscere, spicula, et enses ;
26 sed fuerit tuus ille labor, tua maxima cura,
27 dum dociles anni, patitur dum mollior aetas,
28 ut quas nos gerimus sublimi vertice lauros,
29 interdum puero monstres, et laudis amore
30 Musarum emeritos non dedignetur honores.
31 (Tempus erit, quo mille geret sibi sanguine partas,)
32 ut librorum avidus volvat puer, atque revolvat
33 Francorum annales, ubi tot certamina regum,
34 Borbonidum tot ubi monumenta, et facta stupebit,
35 frena ardenti animo injicias, Bossuete, legendo
36 aemulus accendet juvenilia pectora Mavors,
37 tu blando indomitum mulcebis Apolline Martem.

VOTA AURELIAE PRO SOLEMNI IN URBEM,
EPISCOPI SUI P. DU CAMBOUT DE COISLIN INGRESSU.

P_28 v.1 O Cambutiadum clara qui gente superbis,
2 Richelius sanguis, Segueri augusta propago
3 dulce decus, Cosline, audis si vota tuorum,
4 jam propera, et sacris redimitus tempora vittis,
5 "Ingredere Aureliam, quae te suspirat et ardet."
6 Te matres, avidaeque nurus, te laeta juvenus,
7 ipsi re pueri confuso murmure linguae
8 jamdudum invitant, et nomen ab ubere discunt.
9 Jam video incensam studiis ardentibus urbem
10 accinctosque operi huc illuc concurrere cives,
11 magnificosque Arcus, operosaque pegmata pompae

12 structa tuae, et tolli insanas ad sidera moles.
 13 Sunt qui solliciti pro te dant munera templis,
 14 felices ! Tua si tantum datur ora tueri.
 15 Sunt qui longa suis incusant tempora votis,
 16 sunt alii, qui spe jam alacres bona gaudia captant.
 17 Sed diversa inter populorum vota precesque,
 18 tot motus animi varios, exposceris unus.
 19 "Ingredere Aureliam, quae te suspirat et ardet."
 20 Quin etiam Ligeris te lentis tardior undis,
 21 necnon finitimi vicino e litore fontes,
 22 suspensi dudum exspectant, cursusque morantur.
 23 Quod si forte fluant, lapsu sua taedia produnt ;
 24 et tibi visae etiam, cum summa cacumina motant,
 25 frondibus et trepidae certatim alludere silvae ;
 26 et pariter properare, suisque erumpere ab antris,
 27 et gestire omnes festa ad solemnia Nymphae,
 28 vallesque umbriferae et nutanti vertice colles ;
 29 nam te Fama praeit venientem, omnesque per urbes,
 30 insignes titulos, praeclaraque nomina jactat,
 31 et picta in labaro tua stemmata, non semel hostes,
 32 quae stupuere ipso aspectu et formidine victi.
 33 Quin mittam rutilantem auro, gemmisque coruscam,
 34 obvia Relligio caelo delapsa ferebat,
 35 "Ergo nunc propera, te quando cuncta salutant."
 36 Magna quidem, sed major erit (te praesule) sedes,
 37 regia dicetur, priscos renovabit honores,
 38 urbs quondam regum, et veteris bene conscia famae
 39 turritum reliquas inter caput efferet urbes ;
 40 illa memor dicet tua facta, tuosque labores,
 41 et tot Pontifices inter te, maxime praesul,
 42 unum ostentabit, prodetque e millibus unum.
 43 "Ingredere ergo tuam, Praesul dignissime, sedem.
 44 At vos Aurelias quicumque habitabitis arces,
 45 audite haec, quantam impendit Seguerius omni
 46 invigilans Regno curam, quae maxima cura est.
 47 Aureliae tantam impendet Cambutius Urbi,
 48 pro grege sollicitus per mille pericula Pastor.
 49 Hanc infundit avus, casti acceperere nepotes,
 50 divinam hanc mentem, qua profuit omnibus unus.
 51 "Ingredere Aureliam, quae te suspirat et ardet.
 52 Aureliae nuper vates cecinere Puellae
 53 facta : haec Imperii pro majestate tuenda
 54 bellatrix, magnum nomen sibi fecit ab armis,
 55 jam tutela urbis, quondam dux femina belli ;
 56 illius immensos meritis superabis honores,
 57 et statuae ingenti, quam construxere superbis
 58 sumptibus Aurelii, tua respondebit imago,
 59 certabitque armis pietas, nec habebitur impar.
 60 "Ingredere Aureliam, quae te suspirat et ardet."
 61 Si te nulla movent tantarum pondera rerum,
 62 te saltem moveant suspiria longa gementum ;
 63 tot sontes animae, stipendia debita morti,
 64 quas amens furor, et scelerum vesana cupido
 65 praecipites egit : jamjam poena imminet ultrix ;
 66 da dextram miseris, et nutu solve catenas ;
 67 nutu namque potes clausos perrumpere vectes.

68 Illi e carceribus missi, vinclisque soluti,
 69 En tua submisso lambent vestigia vultu :
 70 quisque suum agnoscet crimen, Sicarius et Fur,
 71 transfugaque et Raptor, thalamorum invasor Adulter,
 72 sese incusabunt, vitae melioris amore,
 73 ultro lugentes vitae malefacta peractae.
 74 Quos legum timor extremas exegit in oras,
 75 et patriam fugiendo, alio sub sole coegit
 76 vitam infelicem multos agitare per annos.
 77 Hi sese reddent tenebris, atque agmine longo
 78 diversi venient omnes de partibus Orbis :
 79 speratam pro jure tuo dabis, Optime, lucem.
 80 Quin etiam aspectu semper maletuta nocentum
 81 pectora firmabis, foedatos pulvere vultus,
 82 relliquias scelerum, et maculas abolebis inustas.
 83 Hoc ne despicias munus, fuit haec quoque cura
 84 Pontificum, antiqui renoves vestigia juris.
 85 Illi autem armatis tundentes pectora palmis
 86 acceptas animas meliori sorte rependent,
 87 optabuntque mori sanctis pro legibus omnes ;
 88 te modo venturum junctis clamoribus urgent.
 89 "Ingredere Aureliam, quae te suspirat et ardet."
 90 Eia age, rumpe moras, populis te redde docendis,
 91 nati te patrem, Pastorem poscit ovile :
 92 en tua sponsa jacet, fusos sine lege capillos,
 93 atque oculos turbata suique oblita decoris,
 94 qualis forma decet sponsam post funera sponsi,
 95 "Sponsae redde tuos veluti pro numine vultus."
 96 Et te Roma tuae gaudet conjungere sponsum
 97 ante diem, sponsae ; implendos non computat annos.
 98 Ipsi, quotquot habes census, sine fenore reddunt
 99 Romani proceres, Latio plaudente Senatu.
 100 Exigat haec sibi Roma, licet sit debita merces :
 101 in te non haec jura cadunt, tu munera quamquam
 102 debita proponas de more, oblata remittit
 103 sponte, sub augurio magno te Roma salutat.
 104 Si properas, matres, pueri, teneraeque puellae,
 105 et nomen, laudesque tuas et carmina dicent.
 106 Si properas, ibit Ligeris jam pulchrior undis,
 107 centum fluminibus, centumque hic fontibus auctus,
 108 nomine sub magno deinceps prorumpet in aequor.
 109 Ante tamen proprio gravis exsultabit in alveo,
 110 ibunt et placidi fontes, et fontibus imis
 111 attollent Nymphae caput et sua gaudia prodent.
 112 "Ingredere Aureliam, quae te suspirat et ardet."
 113 Quo me Musa rapis ? Sunt haec, sunt improba vota,
 114 fallimur, o vates : ne Regi subtrahe nostro
 115 et vultus et purae exempla domestica vitae ;
 116 nam quoties Lupara in magna, tua maxima virtus
 117 praeconem meruit Regem, dum totus honores,
 118 quos alii affectant, renuis : munusque supernum,
 119 hanc, dum pendet adhuc, mitram a cervice repellis.
 120 Sed te sacra petunt divini munia cultus.
 121 Edico : submitte caput, jam jam indue vittas,
 122 debitus Aureliis, et Regi debitus Heros.
 123 Rex sineret, tua te virtus rapuisset ab aula

124 jamdudum, Aureliae nunc esses redditus Urbi,
 125 nunc regeres populos, populi te iussa ferentem
 126 exciperent, tuus ille animi se promeret ardor.
 127 "Ergo nunc propera, ni Regia jusa retardent."
 128 Sume animos, magne o Praesul, te Principe dignos,
 129 regem inter, populosque, tuos partire labores.
 130 Nam qua parte feres oculos (hanc elige parte)
 131 omnia se fundent pleno bona prodiga cornu.
 132 Interea ne te capiant oblivia nostri ;
 133 jamdudum sumus ecce tui ; juravimus, et stat
 134 obsequium, manet et nostros ea cura nepotes.
 135 Servabis veteres titulos, servabis amores ;
 136 nec Victorinae dedisces nomina gentis.
 137 Dudum pollicitus summos Aulae inter honores
 138 antiquam servare fidem, qua nostra beasti
 139 privatus ; manet idem ardor, semperque manebit.
 140 Cumque tuis titulis, ut crescunt optima, crescet.
 141 Prima tibi pendunt haec vectigalia Musae :
 142 apto tubam, totoque animum inflammatus amore,
 143 cantabo majora, tuas cum intraveris Arces.
 144 "Ingrederere Aureliam, quae te suspirat et ardet."

ILLUSTRISSIMI ECCLESIAE PRINCIPIS P. DU CAMBOUT DE COISLIN
 EPISCOPI AURELIANENSIS CURRUS SACER.

P_29 v.1 Vidimus hanc, magne Princeps, longo ordine pompa,
 1 tantaque adhuc animis vivunt spectacula nostris ;
 2 unum te imprimis multa inter millia, et unum
 3 sublimem, mitra redimitum, in vestibus aureis,
 4 vidimus intransent populis plaudentibus arces
 5 Aurelias ; sic victor ovans post aspera bella
 6 Tarpeium montem Capitoliaque alta subibat.
 7 Fas mihi visa loqui, et sacros renovare triumphos,
 8 fas iterum aurato te talem ostendere curru,
 9 qualis eras, cum tu Ligeris mirantibus undis
 10 fortunas regeres populorum, et fata nocentum.
 11 Huc omnes properent (pompae solemnia poscunt)
 12 artifices magnorum operum, mecumque frequentes.
 13 Attollant saeculis monumentum insigne futuris.
 14 Illustrem solido ex auro, nam condere vatum est.
 15 Ipse opifex Currum aedifico, me magna monentem
 16 audite, o socii, atque artes expromite vestras.
 17 Non hic captivos, visu miserabile, reges,
 18 omnibus exutos insignibus, omnibus armis,
 19 non humeros nudata, manusque revincta catenis
 20 agmina bellantum, dejecta fronte videre est :
 21 sed Pietas, et prisca Fides, et candida Virtus,
 22 et bona Pax, tanti fuerit decus omne triumpho.
 23 Primus ego hanc Francis habitatam Regibus urbem,
 24 et late Dominam, et sceptro florente potentem,
 25 ostendam, et populos quos sub ditione tenebat.
 26 Addam arces, addam turrita palatia Regum,
 27 tectorum immensas moles, sublimia templa,
 28 civibus undantem innumeris, seseque minorem
 29 Aureliam concursu hominum, Turonasque propinquos,

30 Blesenses, atque Andegavos, quosve alluit undis
31 lentus Arar, celer et Rhodanus, Ligerisque superbus,
32 quotquot et indigenas labendo Sequana lustrat,
33 Sequana Franciadum primus regnator aquarum.
34 Adjiciam procul arrectas rumoribus urbes.
35 Ad strepitum pompae patria venisse relictas.
36 Non erit ille meus totus labor, alter et alter
37 post alium veniat, lentoque operosus in auro
38 scribat pompam omnem, et ritus, atque urbis honores
39 qua currus latera ampla patent, ubi volvitur axis ;
40 ordinibus longis, ut erant, per compita coetus,
41 et sculptos vultus procerum observare licebit.
42 Castrorum in morem sese undique et undique turba
43 certas per classes paulatim evolvat eundo :
44 densa sacerdotum manus ibit, vestibus aureis
45 illi aderunt redimiti omnes sacra tempora vittis ;
46 centum oratores, quibus est data copia fandi,
47 demissi vultus, ad terram poplite flexo
48 Pontifici de more ferent ingentia dona,
49 gaudiaque et plausus populorum, et publica vota,
50 et quanta Aurelios maneat fortuna, monebunt.
51 Ille suos autem pro tempore pauca rependens
52 agnoscet bonus, et sibi jam spondebit amicos.
53 Ibunt purpurei legum, jurisque ministri
54 cum turba famulantum, et longa in veste Quirites,
55 et pueris mixtum innumeris ignobile vulgus.
56 Hic posco texta egregia, artificumque labores,
57 vexilla, auratasque cruces, insignia Christi,
58 et labarum per centum acies toto aethere fulgens,
59 congestas et opes templorum, argentea vasa,
60 crateres magnos urnasque scyphosque capaces,
61 et fumo undantes accensi turis acerras.
62 Tunc sese affundet tanta ad spectacula caelum.
63 Haec inter veluti divino afflatus honore,
64 antistes tota effertur spectandus in urbe,
65 mille vibrans radios, et amicae fulgura lucis.
66 Quattuor huic oneri, veterum pro more, subibunt
67 antiqua de stirpe duces, Mavortiaque arma
68 sponte manu abjicient, viridemque insignis olivae
69 accipient ramum, blandae jam pacis amantes.
70 Pro galea immiti decorabunt tempora flores,
71 et pro lorica praecingent pectora zonae.
72 Quin etiam. Pulchro accensi pietatis amore
73 dediscent fera bella, iras, Martisque furores,
74 bellantum et titulos et lauros sanguine partas.
75 Densi aderunt avidis oculis qui talia lustrent,
76 nec sat erit lustrasse semel, tota urbe sequentur
77 late incedentem, certoque sub ordine, pompam.
78 Scandent plurima pars fastigia summa domorum
79 templorum celsos apices : de turribus altis
80 accipient pompae sonitus ; matrum optima turba
81 Barbaricis innixa tapetibus ipsa sedebit ;
82 haud aberit tua magna Parens, o maxime Praesul,
83 spectatrix (fultam memini vidisse fenestris.)
84 Publica maternum moverunt gaudia pectus,
85 ut vidit radiantem auro, mitraque superbam

86 et late dominantem inter tot millia natum,
 87 natum, quem unanimes Populique Patresque salutant,
 88 quem plausu excipiunt omnes. O pectora. Matrum !
 89 Non credit sibi, non oculis, timet, ardet, et anceps
 90 insolitum miratur, et obstupefacta tuendo
 91 se matrem probat, et vultu tota haeret in uno,
 92 observatque oculis, longe et comitatur euntem.
 93 Tu quoque, Camusi, (nam te conspeximus una
 94 cum pompa gradientem omni stipante caterva)
 95 ipse aderas mox ipse sacro celebrandus honore.
 96 O quem te memorem ! Quanto te carmine dicam !
 97 Qua te voce ! Quibus clamoribus undique nomen
 98 ibit per populos ! Cum mitra splendidus urbes.
 99 Quae tibi tunc suberunt, intrabis, maxime Princeps.
 100 Nec minus ingenio praestantes, Musneriumque,
 101 addam et Forcroium, Fromentinumque togatum,
 102 quem Cambutiades implexa negotia tractans
 103 in partem curarum, et grandia facta vocavit.
 104 Launoium vidi media inter gaudia turbae,
 105 multa objectantem et Mystas toto ore monentem,
 106 qui proprio pendere volunt et vivere nutu.
 107 Hi caput attollunt sublime, ac libera colla ;
 108 hic veterum legum casto succensus amore
 109 carpebat turbam indomitam et Rectoris egentem.
 110 Quippe tuebatur titulos et debita jura
 111 Pontificum, et meritos sacris in rebus honores.
 112 Quid non cogis amor dominandi ? Assurgimus omnes
 113 Pontifici venienti, omnes miramur ovantem,
 114 obsequiosi omnes, totamque inscribimus urbem
 115 nos laeti pompae comites ; proh dedecus ingens !
 116 Quippe sacerdotes communia foedera rumpunt.
 117 Ut si forte Pater properans succurrere natis,
 118 quos videt interdum vitae in discrimine magno,
 119 praecipiat meliora, suo pro munere rector ;
 120 illi autem obnixi contra, mandata paterna
 121 excutiant stolide indociles, monitisque repugnent.
 122 Sed quid ego haec autem ? Quo me meus impulit ardor ?
 123 Describant alii currus sub fornice longo,
 124 fatalem miserorum urnam, quae nomina mille,
 125 et fundo totidem sortes agitavit in imo.
 126 Terribiles formae, poenarum immania monstra
 127 torvo aderunt vultu, et portantes funera Dirae
 128 nequicquam, sibi magna parans pro tempore Praesul,
 129 ipso e conspectu monstra haec maletuta fugabit.
 130 Hic nuda sub humo stolidi ludibria vulgi,
 131 cernere erit cumulum ingentem, exuviasque nocentum,
 132 vincula rupta, cruces fractas, ensesque retusos,
 133 immanesque rotas, vana instrumenta dolorum ;
 134 et positas, ante ora reum jam tuta, secures.
 135 Quin frustra extensos thalamos, et ferrea clatra,
 136 et laceros funes, quibus impenetrabile Verum
 137 pectore ab occulto eruitur, proditque sub auras.
 138 Hic quaesitor iners animo indignante videbit
 139 elusasque neces, et verbera prona sine ictu,
 140 et mirante reo lictoris inutile ferrum.
 141 Hanc inter turbam artificum, Nantolius unus

142 arte sua praeclarus, et excellentibus orsis,
143 dum cuncti sese hortantes fabrilia tractant,
144 exploret meditans secum, observetque figuram
145 pulchri operis, totum posthac vulganda per orbem
146 sacra, augusta, ingens cudatur, et exstet imago.
147 Sed vos, artifices, major solertia dextrae
148 poscitur, hic melior pars pompae : effingite turres,
149 obscuras turres, loca spurca habitantibus umbris ;
150 taetris parietibus depicta horrebit imago
151 falciferae necis, et furiarum dira supellex.
152 In poenas scelerum stratis avulsa jacebunt
153 corporibus capita, et trunci sine nomine sontes,
154 tristes relliquiae miserorum, inhumataque membra.
155 Intus erat scelerata cohors, gens debita poenis,
156 quae non ausa diem, blandi nec luminis auras
157 adspicere, in lacrimis vitam sine sole trahebat ;
158 constitit his Praesul portis, sibi conscius acti
159 ingentis, mihi major erat. Quasi numinis haustu
160 frons, oculi, micuere ; cavis audita sub antris
161 murmura, singultusque virum : captiva caterva
162 tendebat per claustra manus, longoque ululatu
163 praesulis implorabat opem. Verum ecce repente
164 vincla cadunt manibus, tacti ceu fulmine vectes
165 praevalidi rumpuntur, et omnis turba solutis,
166 qua via facta, ruit jam tum liberrima vinclis.
167 Adspiceres dum carceribus prorumpit apertis,
168 mutatas hominum species, pallentiaque ora
169 et totos trepidare artus. Nam crimen inultum
170 sponte redit, poenasque timet sibi conscia culpa.
171 Vix audent caput erigere, et se ostendere caelo,
172 omnes lucifugi, demissis vultibus omnes.
173 Nicambutiadae firmet praesentia sontes,
174 conjiciant sese in latebras, iterumque relictas
175 antra petant, noctesque suas, et lurida regna.
176 Sic quondam aeterno soboles aequaeva parenti,
177 morte triumphata repetens sua regna, profundos
178 ad manes Erebi descendit, et impulit intrans
179 hactenus obductos ferro septemlice postes,
180 lustravitque viros, nec dedignata per auras
181 ducere tot sacri testes, comitesque triumphi.
182 Ibant turmatim spatiosam impune per urbem
183 lustrati, tutique suo sponsore docentes.
184 Illi ostentabant duri vestigia ferri
185 insignesque notas ; et erat sua gloria vinclis.
186 Imponant alii poenas furialibus ausis
187 immanes, legesque ferant ; toto impia regno
188 agmina proturbet scelerum Seguerius ultor.
189 Magna quidem laus illa, tibi autem maxima surgat,
190 o Cambutiade, damnatos solvere sontes.
191 Nominis ad sonitum fugiunt, pavidique tremores,
192 ignavique metus, et ineluctabile fatum :
193 tu longe exsuperas atavos, cum parcere gaudes,
194 parcendo mutas animos, flectisque rebelles,
195 et quo nil melius, divinum imitaris amorem
196 tecum etenim sua jura Deus partitur, et amplum
197 dividit imperium, miseris dat demere vincla,

198 et quos longa dies tenuit caligine mersos,
 199 solvere carceribus, libertatemque tueri.
 200 Sed vos (quando datur vobis jam luce potiri)
 201 vivite felices animae ; non amplius ultor
 202 mortem intentabit, vindex nec poena sequetur ;
 203 sed tamen, ah ! veniae nimium ne credite vestrae,
 204 edico, servate fidem, promissaque sancta.
 205 Quo major vestrae fuit indulgentia noxae,
 206 hoc foret et gravior repetito crimine poena.
 207 Pars autem anterior currus proponat avorum
 208 immensam seriem, et trabeatos ordine Patres,
 209 et Cambutiadum genus omne, et fortia facta,
 210 tot bellatores galeis ferroque rigebunt.
 211 Hic sudet manus artificum, magis ardua coepta.
 212 Primus Richelides, Franci mens altera Regni,
 213 elatus caput, et Latio spectandus in ostro,
 214 magnanimos inter proceres arcana movebit
 215 regnorum, et tristes bello contundet Iberos.
 216 Alter erit cui legum omnes Rex credit habenas,
 217 sceptrum tenens, Themidis veneranda in veste sacerdos
 218 quem nec turba furens, nec plurima mortis imago,
 219 nec conjuratae Regni, monstra horrida, pestes
 220 infregere : sua pro majestate sedebit ;
 221 tractabit manibus puris regale sigillum.
 222 His manibus tractari et regia gaudet imago.
 223 Hunc prope bellator, totus dum fertur in hostes,
 224 letali, miserum ! Trajectus pectora plumbo,
 225 ille ferox armis, et aena luce coruscans
 226 exsultantem animam multo cum sanguine fundet
 227 securus factorum. Et erit tuus, optime Praesul,
 228 agnosco, tuus ille Pater, quem fortibus ausis
 229 ni valeas aequare, paterna exempla secutus,
 230 hunc saltem referes moriturus pro grege Pastor.
 231 Flens natus patris exanimum et miserabile corpus,
 232 quamquam imbellis adhuc, arma inter bellica reptans,
 233 thoracas, clipeosque, et tela, et tympana, et enses,
 234 ingentes belli exuvias, conamine multo
 235 aptabit parvis humeris, et pulchrior ira,
 236 arma petet, bello nondum maturus et armis,
 237 et licet ingenuo nil torvi Martis habebit
 238 ore puer, patrios animos dabit aemula vittus.
 239 Nunc Dux bella gerit, crudisque induruit armis.
 240 Hujus erunt gemini, clarissima pignora, nati,
 241 paene aetate pares, annis puerilibus ambo ;
 242 agnoscentque patrem, sed quid crudelia fata,
 243 ah ! Natu minimum properato funere mergunt.
 244 Det tumulum sculptor, tumulo det lilia frater,
 245 det mater lacrimas, supremaque munera vates
 246 carmina ; finitimus morientem Sequana flevit,
 247 illum et Sequanicis nymphae flevere sub undis.
 248 Postremum hunc, (neque enim totam hanc evolvere gentem)
 249 sufficiam vates ; nemorum in penetralibus altis,
 250 urbe procul, procul a strepitu, et popularibus auris
 251 caelabit juvenem, meditantem abstrusa Tonantis
 252 consilia ; et fluxae fugientia tempora vitae.
 253 Ille recusanti similis, sacra pondera, mitras

254 pendentes capiti abjiciet, fusumque metallum,
255 sub pedibus calcabit opes, titulosque paternos
256 exuet, ardenti superum inflammatus amore.
257 Praesulis eximias dotes, pars cernere currus
258 posterior dabit, atque oculis exponet apertis ;
259 illius in vultu sese Clementia pinget,
260 et jam non sua facta, suos nec dicet honores,
261 atque omni pro laude, unum ostentabit alumnum.
262 Hic gestans insigne suum quaeque incllyta virtus
263 omnes fortunae casus ridebit acerbos.
264 Vos, sacrae Charites, turba indivisa Sororum,
265 Spesque, Fidesque, suisque comes sat prodita flammis,
266 qua caelum reseratis, iter monstrate tenendum.
267 Candida Simplicitas niveis in vestibus ibit,
268 effundetque omnes de cornu Copia gazas.
269 Ut quondam in terras caelo pluet aureus imber,
270 consilio meliore Dei, miserabile vulgus
271 excipiet manibus caelestia munera passis.
272 Praeterea variis scribentur multa figuris,
273 quae lector mox percipiet ; veloque remoto
274 splendent magis, et mentem intellecta subibunt.
275 Irriguos fontes, animam qui floribus addant,
276 depingam, et stellas sublustri noctis in umbra
277 fulgentes, nec non criniti lumina solis,
278 et fugiente lupo tutos sub matribus agnos.
279 Purior electro fluet amnis, arundine in alta
280 interdum abscondens, imperfossisque sub antris
281 quaerat iter, ripa mox liberiore receptus,
282 celari impatiens, et grandi redditus alveo,
283 divitias magnatum ingens evolvat aquarum.
284 Sic Praesul, sine sole domos, et inhospita tecta
285 sic loca senta situ penetras, gaudesque latendo
286 spargere opes mox ipse palam pro munere sancto
287 ingrederis Luparam exsultans, et limine in ipso,
288 regales aperis miserorum in commoda gazas.
289 Interea se promit opus ; properate puellae
290 et pueri, vos et juvenes, matresque, senesque,
291 quotquot et Aureliis cives qui degitis oris.
292 Ros quoque pastores, quibus est par cura regendi,
293 vobis festa dies, concursu accedite magno.
294 Hujus ad adventum calathis effundite plenis,
295 quos ultro vobis tellus dedit optima flores.
296 Et quando gravidae succis melioribus uvae
297 nunc sese incurvant, testari gaudia vivo,
298 ah ! Liceat, totamque accendere cantibus urbem.
299 Laetitia in tanta populorum, urbisque tumultu,
300 ipse pater Ligeris cum squamifero comitatu,
301 et caput atque humeros nudus, non amplius urnae
302 incumbens, pompam longo post tempore visam
303 lustrabit, circumque fremet plaudentibus undis ;
304 ipsae etiam silvae umbriferae, nemora ipsa, rebellis,
305 materiae durus sineret rigor, alta per auras
306 motarent capita, et leni cum murmure frondes.
307 Nam visi montes, immania tollere dorsa
308 altius et sese erigere, et si credere dignum est,
309 ostendere caput saxa inter concava Nymphae.

310 At docti postquam artifices, operumque magistri
 311 constructo in curru descriptam cernere pompam,
 312 venturis dederint opus admirabile saeculis.
 313 Ille diu terris caelesti munere functus,
 314 virtutum de consilio, conscendat eundem,
 315 post obitus, currum, nec jam mortalia curans,
 316 addendus Superis rutilos rapiatur in axes.

IN FONTEM DRIBURGICUM AQUARUM SALUBRITATE NOBILEM
 FERDINANDI PRINCIPIS EPISC. PADERBOR DELICIAS.
 ODE.

P_30 v.1 Quae me purpureis, quae nova floribus
 2 crinem cincta vocat Nympha sub alterum
 3 axem, cogit et almae
 4 fines relinquere Galliae ?
 5 O quam dulce nitet per vitreos dea
 6 fluctus, egregii munere Principis ?
 7 Stratis molliter undis
 8 quam pulchrum super incubat !
 9 Hinc et Luppia, et hinc surgit Amisius,
 10 laeves nudi humeros, nec male prodigas
 11 tam felicibus undis
 12 urnas jungere gestiunt.
 13 Quos ignes oculis ambo avidis bibunt,
 14 hos servant mediis fluctibus, aemulis
 15 ardent ignibus ambo,
 16 et labi immemores stupent.
 17 Illuc per liquidum quis vehat aethera ?
 18 (In me nulla mora est) Teutonas omnibus
 19 quamvis terreat armis
 20 Mavors, ibimus, ibimus.
 21 Ergo rumpe viam dux, bone Verjusi,
 22 illuc Gallica res te vocat : obvia
 23 te per tela, per ignes
 24 te, quocumque vocas, sequor
 25 laeva quam subigit Nympha videbimus
 26 urnam de Pario marmore nobilem.
 27 Hic incisa legemus
 28 vatum nomina grandium.
 29 Auctam tot titulis, quos veterum e sinu
 30 docti cura sagax Principis eruit,
 31 hanc mirabimur urnam,
 32 doctasque artificum manus.
 33 His Fernandus aquis praesidet, et domos
 34 circum marmoreas providus exstruit.
 35 Haec nos tecta Poetae,
 36 has aedes habitabimus.
 37 Vates ille suos scilicet, et sua
 38 alter Phoebus, habet flumina : quae libens
 39 vel Parnasside lympha
 40 mutet Pieridum chorus.
 41 Pulsabit citharam Torckius auream.
 42 (Torcki plena Deo carmina vidimus)
 43 hic miscere licebit

44 doctis proelia vatibus.
 45 Sed quid Francigenae Naiades ingemunt ?
 46 Maerens Borboniis se dea frontibus
 47 aeternum abdidit, ex quo
 48 formosum caput extulit.
 49 Ad ripas Paderae Nympha potentior ;
 50 hic Germanus, Iber, Gallus et Allobrox,
 51 se, post longa duella,
 52 laeta ad pocula provocant.
 53 Ad fontes medicos undique curritur,
 54 hinc longe fugiunt agmina febrium,
 55 morbi, pallida monstra :
 56 his terris habitat Salus.
 57 Succis seu melior terra salubribus,
 58 seu ferro insita vis, seu genius loci,
 59 sacras afficit undas,
 60 membris unde reedit vigor.
 61 Sed quid necto moras ? Inter amabiles,
 62 Nympharum choreas ludere gestio.
 63 surdis, Sequana, ripis,
 64 sat nos carmina fudimus.

AD FERDINANDUM FUSTEMBERGIUM EPISCOPUM MONASTERIENSEM.

P_31 v.1 Dum meditor, celse o princeps, tibi pendere carmen,
 2 principe te dignum, et, quando favet aura poetis,
 3 jamdudum incepto tandem dare vela labori.
 4 "Grande aliquid de me exspectans mea Gallia tantum
 5 interruptit opus ; longos vigilata per annos
 6 carmina distuleris, dixit, nondum ille supremos,
 7 promissos fati, nondum conscendit honores.
 8 Nam licet Agaridae clarus de sanguine gentis,
 9 ardentem bellis Europam arrexit omnem
 10 consiliis, haud belligeris heroibus impar
 11 Fernandus, vestrasque artes ditavit opimis
 12 muneribus, Musis pariterque intentus et armis :
 13 est aliquid majus, quod nondum aperire poetis
 14 fata sinant ; dabit egregii argumenta laboris
 15 longe alia. O quantis se tollet honoribus heros !
 16 Qualis erit ! Quos non populos ditione tenebit !
 17 Dum solio Princeps leges dictabit ab alto
 18 pacifer, et positus late dominabitur armis.
 19 Qua tunc voce ? Quibus clamoribus ora sonabunt ?
 20 Quot plausus populorum, et festivae undique voces ?
 21 Primum Teutonicas ibit cita fama per urbes,
 22 Fernandumque tubis canet omnibus, inde Latinos
 23 Imperii fines, ubi quondam Romula tellus,
 24 antevolans curret, mox totum lapsa per orbem,
 25 assensu elata unanimo, et concordibus auris,
 26 Fernandum mitra radiantem auroque coruscum,
 27 et populis dantem sacra jura, et regibus ipsis,
 28 vugabit : docti vos hic durate Poetae ;
 29 carmina tunc mutanda, novo tunc ore canendum est.
 30 Cessabunt fera bella, impacatique furores,
 31 tum bona pax veniet, sed adhuc trepidantibus alis,

32 Fernandi ante pedes, vultus demissa modestos
 33 et veniet pia relligio, tot diruta templa,
 34 atque aras, ritus sanctos, contemptaque sacra,
 35 effigiem belli horrendam, et spectacula dira
 36 monstrabit : pietas succedet, et arma petenti
 37 subducet sensim, galeasque, et spicula, et enses,
 38 terrificos enses, pedibus thoracas aenos
 39 projiciet calcans, Martis monumenta cruenti.
 40 Quae modo compositis accedet gloria rebus !
 41 Fernando quis honos ! Totum pacaverit orbem
 42 terribilis Lodoicus, et omnibus otia terris
 43 fecerit, indomitum frenans sub pectore Martem ;
 44 foederis in partem veniet Fernandus, et una
 45 pacem obsignabit, sedandoque annuet orbi
 46 arbiter et pacis : dabit ingens Sequana plausum
 47 ingentem, et tota respondens Luppia ripa
 48 victorem Lodoicum undis feret omnibus, omnesque
 49 in placido ludent gaudentes litore Nymphae,
 50 Westphalides Nymphae. Jurabit foedera Princeps
 51 ipse volens, Francae quae maxima gloria genti.
 52 Undique dispersis dediscent proelia castris,
 53 exuti simul arma duces, non ensibus enses,
 54 signaque Liligeris non amplius aemula signis.
 55 Ne pacem hanc turbate odiis, quippe asper in armis
 56 ille erit, aeratas secum trahet ille cohortes ;
 57 dux belli, si fata jubent, in utrumque paratus,
 58 aut bellum gerere, aut animos componere paci.
 59 Quod potius reor, et Superi quod Numine firmens.
 60 Ille idem Regum summos aequabit honores,
 61 et quo Caelum aperit, vincet Regalia sceptra
 62 pastorale pedum, nec cedet mitra coronis.
 63 Quin Pietas subdet grandes ad fortia sensus.
 64 Hanc animam, quam debet avis heroibus heros
 65 pro sacris animam hanc effundet prodigus aris.
 66 Incipe tunc resonare, et liberiore Minerva,
 67 Amisii ad ripam, pacali cinctus oliva,
 68 omnibus ingentem Fernandum ostendere terris.
 69 Nec tua, quae cecinit Regum, laudesque Tonantis,
 70 Musa reformidet tam doctas Principis aures,
 71 ipse tibi ingentes animos, mentem ipse parabit.
 72 Bella alii certent, quaerant e strage triumphos.
 73 Tinctasque affectent inimico sanguine lauros,
 74 longe alias lauros, alios longe ille triumphos,
 75 ambiet, et monitis jam tum caelestibus actus,
 76 commissos blando imperio, quos lumine pascet
 77 divino, populos reget, imprimisque cavebit
 78 ne tot monstra Erebi Batavis grassantia terris
 79 corrumpant puram, quam protegit undique gentem.
 80 Tartareas pestes rupto ex Acheronte profectas,
 81 terribilis sacro aspectu, et nudo ense fugabit :
 82 hinc stolidi errone, Stygiis gens nata cavernis,
 83 et detecta suas repetent mendacia noctes.
 84 Haec tua erunt facta alta, tui, Fernande, triumpho.
 85 Tunc citharas pulsate omnes et acuta sonantes
 86 centum implete tubas valido pulmone Poetae."
 87 Dixit, et ante oculos Fernandi major imago

88 visa mihi, o quanta se majestate ferebat !
 89 Regia quae toto gravitas spirabat in ore !
 90 Obstupui : tum diva agitantes pectora Phoebum,
 91 multa animo meditans, immisso frigore pellit.
 92 Pierius calor atque una me Musa reliquit.
 93 Sic ubi liber equus stabulis egressus apertis,
 94 cui frena iniecit dominus, fremit ille teneri
 95 impatiens, jam jam spe alacer transmittere campos,
 96 addere se spatia in vasta, et praevertere ventos.
 97 Exsultantem animo, et nimia virtute ferocem
 98 vix dum sensit eques, donec subsederit ardor,
 99 castigat, mulcensque ferum, in stabula alta reducit,
 100 ut dum propositis Rex ponet praemia ludis,
 101 nobilior campo virtus se ostendat aperto.

CLAUDIO FYOT COMITI DE BOSJAN,
 IN SUPREMA BURGUNDIAE CURIA SENATORI HONORARIO, DIPLOMATICO,
 SANCTI STEPHANI DIVIONENSIS ABBATI.

P_32 v.1 Ecquis praecipites astris volventibus annos
 2 sistat, et injectis, fugientia tempora, frenis ?
 3 Sit tuus, Antistes, labor ille, et maxima cura.
 4 Quae dudum in tenebris, et longa in nocte jacebant,
 5 reddita jam luci et totum vulganda per orbem,
 6 sese ultro produnt, ne forte ingentia facta
 7 intereant, seris ignota nepotibus olim.
 8 Quid non Urbis amor, quid non tua pectora cogit
 9 relligio, sanctaeque domus tibi credita cura ?
 10 Effossis manes placidos exire sepulcris
 11 ecce jubes ; servire tibi, et prodire sub auras
 12 sponte omnes properant, studiisque aequalibus ardent,
 13 ad nutus se tota tuos rediviva vetustas
 14 ostendit, rugisque suis veneranda revelat,
 15 nec mora, tantarum commotus imagine rerum
 16 nocte sepulta tuae primordia detegis urbis :
 17 ut Divis fuerit primum devota profanis
 18 divio, ut, excipiens divini semina verbi,
 19 dedita sit Christo, simul ejuraverit Orcum,
 20 sacrilegos ritus, et, ludicra numina, Divos.
 21 Quin etiam exploras titulos, diplomata Regum,
 22 exesasque situ et taetra rubigine chartas,
 23 depositae testes fidei, monumenta verenda
 24 queis sese attollit, cui te notissima virtus
 25 praefecit, Stephano sacra, et te Praeside felix,
 26 quaeque tuis nuper reparata est sumptibus, aedes.
 27 Hanc quot Lingonici donis caelestibus auctam
 28 Pontifices coluere ! Quot illi tradita jura !
 29 Et quot divinis concessi in rebus honores !
 30 Quid loquar, ut pulchro veri propectus amore
 31 non sola inquiras proprii decora abdita templi ;
 32 ast aliena etiam penetrans loca, devius ultro,
 33 indigetem, sive antiquas, ab origine sedes,
 34 sive novas, quascumque sinu complectitur ampla
 35 Divio, percurras, aetatemque ordine signes ?
 36 Unde rudis, patriaque errans Burgundus in ipsa

37 advena qui fuerat, per te nunc munere civis
 38 jam fruitur, discitque suos agnoscere Divos.
 39 Macte libro, Praesul ; dextro satus omine multos
 40 eliciet, tua per vestigia plurimus ibit
 41 aemulus antistes : jam sacras undique cerno
 42 educi tabulas, seriem parat ecce suorum
 43 edere quisque Patrum, quam claustra obscura recondunt.
 44 Exempli vis tanta, pii vis tanta laboris !

ILLUSTRISSIMO VIRO D. ACHILLI HARLAEO
 IN SUPREMO GALLIARUM SENATU PROCURATORI REGIO.
 CARMEN PANGYRICUM.

P_33 v.1 Haud sine consilio et manifesto numine Divum,
 2 publica solliciti dispensant munia Reges,
 3 unde salus populorum, et pendent ultima fata.
 4 Istuc, Harleade, et solers prudentia Regis,
 5 et tua te virtus, et magna exempla tuorum
 6 evexere : omnis studiis te ardentibus Aula,
 7 te populi, te sancta Themis, te Gallia dudum,
 8 munus ad hoc regale, magistratumque petebant.
 9 Quin pater ipse suos ultro deponit honores,
 10 et proprio assurgens gaudet decedere nato.
 11 Dicite, vos Proceres, Franci capita alta Senatus,
 12 tuque Themis, quibus ille modis, quo tramite surgat
 13 ad summos apices, famamque extendat avorum ?
 14 Nam neque purpurei trabeato ex ordine Patres
 15 hoc potuere, licet suprema negotia tractent,
 16 omnes consiliis, clari virtutibus omnes.
 17 Vidi ego, per populos dum scripta impune vagantur,
 18 dedecus aetatis nostrae, opprobriumque futurae,
 19 concilio Patrum in magno decreta ferentem ;
 20 illum et Sorbonici firmantem oracula coetus ;
 21 venerat huc Regni pro libertate tuenda
 22 orator ; titulos, lacerataque nomina Vernae
 23 vidi, et proscriptos Roma indignante libellos.
 24 Ipse etiam nuper Patribus de more vocatis,
 25 multa super legum imperio pandebat. Adeste
 26 quotquot Roma tulit, quotquot stupuistis Athenae,
 27 magni oratores ; vestris non laudibus impar,
 28 addebat verbis numeros, et pondera rebus.
 29 Unde olli tanta eloquia, et vis addita linguae,
 30 unde artes, tam vivida mens, animique sagaces !
 31 Quid referam gravitatem oris, frontisque modestae
 32 gratum adeo fulgur, majestatemque serenam,
 33 et castos mores, et opum, fastusque superbi
 34 contemptorem animum, et nil tale ferentibus annis
 35 pro patria magnos, exantlatosque labores ?
 36 An capiunt tantas mortalia pectora dotes !
 37 Haec mecum, cum Sidonio spectabilis ostro
 38 sancta Themis mihi tum dubio stetit obvia, et ultro
 39 convenere, quibus custodia credita Regni est,
 40 diique deaeque omnes, necnon et Gallia quondam
 41 Harlaeis defensa heroibus : aurea palla
 42 splendebat Regina, manuque insignia gestans

43 lilia Francorum, et sacra diademata fronte,
44 nec vultu Divae absimilis, me multa docebat
45 durius increpitans : "O rerum ignare mearum
46 hactenus, inquit, an Harleadum tot nomina nescis,
47 tot decora antiqua, et clarae primordia gentis ?
48 Debet avis hanc grandem animam ; nec plura morata,
49 omnes Harleadas, Belleuraeosque retexens
50 monstrabat radio, totamque ex ordine gentem ;
51 et simul in pictis simulacra augusta tabellis
52 cernere erat, quanta se majestate ferebant !
53 Pars una in trabeis, pars altera fulget in armis ;
54 et pro laude sua, aut ramum pacalis olivae,
55 aut belli exuvias superato ex hoste gerebant.
56 Tandem sic visa est paucis me multa docere
57 regina interpres. Latii nova gloria Pindi,
58 si dubitas, Vates, in quantum nomen iturus
59 Harleades, quo sese ingens ea gloria tollet ;
60 hos agnosce viros, haec pectora nescia frangi,
61 armatasque in bella manus, pacisque ministros.
62 Si quando ductandae acies, si jura tuenda
63 gens dedit illa duces, proceres dedit illa togatos,
64 una e stirpe omnes, aut firmavere Senatum
65 consiliis, aut imperium victricibus armis.
66 Hinc tanta Lodoix percussus imagine rerum,
67 Harlaeo, vel adhuc juveni Regalia jura
68 credidit, atque omnes legum commisit habenas."
69 Noverat ex priscis Harlaeum annalibus, omnemque
70 enumerans gentem, e multis suspexerat unum
71 Astraeae primo in solio, dum turbida caeco
72 urbs fremeret motu, praetextis undique causis
73 debita Borbonio generi, queis sceptrum revellant
74 praedones regnorum avidi ; stat pectore firmo
75 Harlaeus, titulosque et sceptrum avulsa reposcens,
76 Henricum Regem populo obluctante salutatur,
77 firmat et incertum ventura in saecula regnum.
78 Quid patriae non cogis amor ? Non carceris horror,
79 non illum fera vincla, impacatique furores
80 confusae plebis, ferrique licentia flectunt ;
81 et scelus est, gens dira, tuum ; tua maxima contra
82 Harleade virtus ; pudet aeternumque pudebit
83 promeritos fasces franco rapuisse Catoni.
84 Me majora vocant, paucis advertite, docebo,
85 hic Burgundiacos tractus, nataliaque arva
86 deserit, et magno Francae telluris amore,
87 transtulit huc patrios tota cum gente penates.
88 De tantis ducibus quid non sperare licebat ?
89 Tum Bellona tuba, Mars Gallicus omnibus armis,
90 et dedit ingentem pennis Victoria plausum.
91 Nec minus est laetata Themis, libraque remissa
92 ad tempus, laeto implevit rumore Senatum.
93 Non semper fera bella juvant ; nam proximus ille
94 pacis amans dediscit avos, Martemque perosus
95 exuit arma, togaeque altos affectat honores.
96 Saepe domi strepitu procul, insanoque tumultu,
97 depositoque supercilio cum plebe senator,
98 et veteres rixas, et bella forensia vulgi

99 composuit, longasque moras, litesque repressit.
 100 Grande magistratus, et adhuc memorabile factum,
 101 late per populos, Themidisque per omnia templa,
 102 Harleadae nomen laudesque, et facta sonabant.
 103 (Dictis si qua fides) tantis rumoribus acti,
 104 illius e tumulo visi prorumpere manes,
 105 laude sua manes etiam post fata superbi.
 106 Sed quid ego hunc autem ? Non longe agnosce Thuanum ;
 107 hic sanxit patrias in publica commoda leges,
 108 densis quae tenebris, et multa nocte sepultae
 109 obscurae semper, nativae lucis egebant ;
 110 tot confusa inter veterum decreta, Thuanus
 111 innumeras leges brevia in compendia misit,
 112 tum luce infusa priscum acceperere vigorem.
 113 Tantus erat juris vindex, Themidisque sacerdos !
 114 Salve, o Francigenum scriptor clarissime regum,
 115 docte Thuane, decus quondam et lux maxima saeculi,
 116 legiferae Themidis sanctum caput, otia musis
 117 Astraeaeque dabas, docta intervalla laborum.
 118 Te res imperii, te mille negotia poscant,
 119 incedis trabeatus, et amplo in munere fidum
 120 te patribus, populisque probas, regnoque ministrum.
 121 Si tibi fert animus res scripto exponere gestas,
 122 et regnum annales, immensa volumina scribis,
 123 jactabunt quae sera tui per saecula nepotes.
 124 Haec memorans dilecta comes, jactabat Achillem,
 125 quem Rex Macloviis olim praefecerat aris.
 126 O superi ! quantos pro Relligione labores
 127 ille tulit, quantas terraque marique procellas ?
 128 Monstrabat tabulata super, Phrygiosque tapetas,
 129 congeriem immensam spoliolorum, aurique talenta,
 130 quae Scythico dederat, non munera parva, tyranno,
 131 hic nuda sub humo, gladii, clavaeque trabales,
 132 nodosaeque cruces, multoque cruenta cerebro
 133 grandia saxa, necis dira instrumenta, jacebant.
 134 Auro Thrax inhians jam tum obliviscitur iras,
 135 et pretio accepto longa sub nocte gementes
 136 Christiadas vinclis, et dura compede solvit.
 137 Hunc prope frater erat, non jam per bella tremendus,
 138 deposita mitis galea, atque immanibus armis,
 139 fratris ad exemplum miles se consecrat aris.
 140 Hic etiam vidi ante alios, magnumque Camillum,
 141 quem Rhodanus, quem lentus Arar, plaudentibus undis,
 142 obliti cursus proprios, urnaque relicta,
 143 corpore plus nudi medio, summo aequore cernunt ;
 144 sic Tiberis fertur quondam exsultasse Camillo,
 145 quem toties raptis celsa ad Capitolia vidit
 146 insignem exuviis, victricisaeque arma gerentem,
 147 tu quoque, Ferdinande, aderas, te quippe videbam
 148 pascentem Druidas populos ; verum ecce repente
 149 Pontificem mento intonsum, et brevior capillo,
 150 ostendentem utraque manu haud ingloria scripta ;
 151 mirabar docta ora viri, frontemque, oculosque,
 152 egregiasque animi cultu sub simplice dotes.
 153 Ecce sequebatur spectanda in veste sacerdos,
 154 ante omnes forma eximius, mitraque coruscans,

155 hic ille est, docto quo praesule Neustria gaudet
156 hujus ad aspectum mutato expalluit ore
157 Gallia ; jam liceat, dixit, renovare dolores,
158 tanto et Pontifici meritas persolvere grates.
159 Pro re pauca loquar ; cum nuper vulnere caeco
160 Reginam abstulerant, crudelia numina, Parcae,
161 nos memores Reginae, unum selegimus omnes,
162 qui grandi eloquio (Regis sic jussa ferebant)
163 illius et Regale genus, natamque, sororemque
164 hanc ipsam, et sponsam Regum, Regumque parentem
165 diceret, et laudes dicendo aequaret avitas.
166 Delubro in vasto, qua Sequana rumpit aquatum
167 continuos cursus, busti surgebat imago
168 more pyrae ingentis, Francorum hic stemmata Regum,
169 liliaque, et pallae, et multo diademata in auro,
170 effigiem tumuli super, exuviaeque jacebant ;
171 exuviae tristes ! Solio cum orator ab alto,
172 immiti fato ereptam et crudelibus umbris,
173 Reginam Austriacani lacrimans ter voce vocavit.
174 Addidit et grandes titulos, et fortia facta :
175 facta ! Quibus dirum frenavit femina Martem.
176 Illum Borbonidae cum luctisono comitatu,
177 pullati stupuere duces, stupuere loquentem
178 Pontificum chorus omnis, et omni ex ordive Patres ;
179 tanta fuit vis eloquii et miranda potestas !
180 Sit laus ista togae, jam me novus abripit ardor,
181 sunt bellatores, Mavortia pectora, et ipsi
182 Harleadae, memini, his ducibus res bellica quondam
183 credita erat, primi dura in certamina, primi
184 tela per et gladios, inimicaque castra ruebant
185 intrepidi heroes. Si nunc res posceret, ultro
186 exuerent trabeam, et patriis pendentia tectis
187 arma retractarent, non inferiora secuti.
188 Sed cur ista moror ? Numeret Burgundia bella,
189 ostendatque duces, quibus illa angustior olim
190 crevit in imperium ; memoret quos vicerit hostes
191 bellatrix, quantasve sibi submiserit urbes
192 consilioque, manuque, fremens dum bella tonaret
193 undique, et effusis Mars impius iret habenis.
194 Haec fuit Harleadum, fuit haec tum cognita virtus.
195 Nec semel hoc nomen trepidae audivere Pyrenes,
196 et Tagus, et Tiberis, Scaldisque, celerque Visurgis,
197 victrices tremuere et amantes proelia dextras.
198 Ipse metu turbavit aquas et fugit in aequor
199 Eridanus, Tamesisque imo caput abdidit alveo,
200 quamquam bella inter pelago confisus, et armis
201 pulcher Joannes cadit omnibus obrutus undis.
202 Haec dicens vultus iterum demissa decoros
203 Gallia, non lacrimis medio in sermone pepercit.
204 Illam ut conspexi lacrimantem, et multa gementem ;
205 "Quae, dixi, tibi Diva comes, quae causa doloris ?"
206 "Hoc, inquit, ferro, hac dextra defensa fuissem.
207 Ibat jam pelago victor, spoliisque superbum
208 praedatorem Asiae toto ex Oriente fugabat ;
209 sed juvenem eripuit vix pubescentibus annis
210 invida vis factorum et inexorabile letum.

211 Illum triste sonans Eoa per aequora Triton
 212 ingemuit concha, et Nymphae flevere cadentem."
 213 Hic mihi grandiloquo celebrandus Sancius ore,
 214 Sancius Henrici, titubant dum Gallica regna,
 215 et fidus comes, et sceptrorum maximus ultor.
 216 Ille quidem Caroli vidit post funera Regis
 217 omnibus exceptum populis, regnoque potitum
 218 Henricum ; sed rem patriam turbante tumultu,
 219 proh facinus ! Scissi studia in contraria Patres
 220 hactenus indefensam urbem, et regalia tecta
 221 milite dant circum, Regemque a sedibus arcent.
 222 Non tulit indignans vir martius, intus agi rem
 223 dum videt, et praeceps summa in discrimina regnum,
 224 tendit ad Helvetios, et multo prodigus auro
 225 bellator, resides populos venaliaque arma
 226 conducit, Regum ereptos ulturus honores.
 227 Sub duce belligero Rhaetorum exercitus ibat
 228 secum fata ferens, haec dum mihi prompta parantur
 229 auxilia, occumbit perfossus pectora ferro
 230 infelix Henricus, et urbe domestica bella
 231 exarsere magis ; subiti rediere tumultus,
 232 proeliaque, indomitos nullo cohibente furores.
 233 Sancius ad portas justis metuendus in armis
 234 bellat, eo bellante omnis stetit impetus, omnis
 235 compressus furor, et scelerati insania ferri.
 236 Adderet his majora, sed inter tympana et enses
 237 Gallia Chritophorum agnovit, vultuque manaque
 238 et crudum ardenti spirantem pectore bellum.
 239 Admirata virum blanda sic voce salutat :
 240 "Hic natus bellis, custos virtutis avitae,
 241 gentis et Harlaeae magnum decus ; arma petentem
 242 non illum movere preces, non purpura patris.
 243 Conscius ipse sui Harlaeos interrogat omnes,
 244 ingentesque animos atavorum, et grandia facta.
 245 Otia pacis ament alii, mediasque per urbes
 246 incedant Tyriis in vestibus : "Ast ego, dixit,
 247 castra sequor ; quo bella vocant, bella horrida, eundem est."
 248 Vixisset ! Meritis pro talibus inclytus Heros,
 249 colla per, atque humeros praeclarum insigne tulisset,
 250 auratae torquis jamjam decorandus honore.
 251 Ast alii turmatim aderant, supremaque tantum
 252 ora ostentantes ; stabat galeata caterva,
 253 qualis erat, dum torva tuens raperetur in hostes.
 254 Undique spirabat duti Mavortis imago,
 255 per caelum Fama antevolans, velocior euris
 256 implebat toto ore tubam, Harlaeosque sonabat.
 257 Ibat pone sequens Victoria, iterque morata
 258 spargebat virides nullo discrimine lauros.
 259 Innumeras bellantum acies ut Gallia vidit :
 260 "O mihi si, dixit, turbam hanc memorare liceret !
 261 Monstrarem Lodoicum equitem de munere regis
 262 torquatum, vitta insignem, ingentemque Philippum,
 263 quem sex lustra vident regnorum in foedera mixtum.
 264 Vos Byzantinae, regum pallatia, turres,
 265 testor, et Eoae gentes, teque, impie rector,
 266 obstupuistis enim Francorum jura tuentem.

267 Adjicerem Corteniacum, qui talia spectans
268 pro laude herois tanta, sibi foedere natam
269 junxit, et aeterno sponsam dignatus amore est,
270 magnanimumque duces antiquis e regibus ortum,
271 et Cesios omnes, Canvallonosque superbos
272 Sanciadamasque equites una de stirpe referrem.
273 Et, Brevalle, mihi, non illaudatus abires,
274 cujus ferrea glans jaculatae turribus altis
275 in caput insiliit, Latios dum tendis in hostes
276 bellator, pulchramque petis per vulnera mortem.
277 Per vos, dicam equidem, fortissima pectora bello,
278 hoc nutans stetit Imperium ; quod munere pacis
279 jam fruar, et vigeat legum quod sancta potestas,
280 Harleadum est : totam coeptis me debeo vestris.
281 Et dubitamus adhuc post tot monumenta virorum,
282 post tot avos, proavosque, et mille heroica facta,
283 unde tot emineant Harlaei in pectore dotes ?
284 Plura loqui vetuit Themis indignata : "Meosque
285 ambitiosa quid hic memoras, o Gallia ? dixit.
286 Jacta castra, ducesque tuos, pugnatique bella ;
287 non equidem invideo, tua sint haec praemia laudem
288 bellantum ; quid enim nostros tibi sumis honores ?"
289 Haec dicens oculos in me conversa tenebat
290 jamdudum : "Tibi multa, inquit, monstranda supersunt
291 sunt etiam Belleuriadae, mea gloria duris
292 temporibus, patriaeque patres, legumque ministri,
293 Sese sponte quibus laetata est subdere et ipsa
294 majestas soliorum, et Regum invicta potestas.
295 Nec minus acceptos referas heroibus illis
296 quos versas, grandes animos, Harlaee ; tuarum
297 illa quidem numero in tanto non ultima laudem est."
298 Mens, fateor, perculsa stetit gravitate virorum
299 tantorum ; me me undique et undique turba vocabat.
300 Observabam avidus praeclararum exordia gentis,
301 stemmataque et trabeas, fasces, sellasque curules.
302 Hanc ego dum tacitus perlustro ex ordine turbam
303 admirans, accensa Themis duro increpat ore :
304 "Cur, vates, pictura animum nunc pascis inani ?
305 Pomponii gens tota, patrumque immensa propago,
306 salvete illustres animae, salvete verendi
307 custodes populorum, haec vobis debita cura est.
308 Dum vos aspicio, vestros dum consulo vultus,
309 ecce redit vetus illa, et grandis imago Catonum,
310 qui, dum vita fuit, Romano pectore leges,
311 jus patriae antiquum, libertatemque tuentur."
312 Sed mihi prae reliquis major quae fulget imago ?
313 Unam atavi aspiciunt omnes, infraque, supraque,
314 ceu vaga quae clarum circumstant sidera Solem,
315 convertunt rutilos alieno lumine vultus.
316 Hic vir hic est, dateserta Deae, date munera Reges,
317 qui molem regnorum humero non impare portat,
318 promissus Franco jamdudum debitus orbi.
319 Pacifer orator, rerum armorumque minister
320 Pomponius largos fundendi sanguinis amnes
321 et jurata odia, et Regum compescuit iras.
322 Illum Sarmaticae sub iniquo sidere gentes,

323 Rhetique, Helvetiique, et crudi Martis Iberi
 324 obstupere, modum pacis, legesque ferentem.
 325 Hinc meruit legum supra fastigia tolli
 326 arbiter, et tractare manu Regale sigillum.
 327 Ille patris famam meritis ingentibus aequat,
 328 Pomponii pars magna, et nostri gloria coetus.
 329 Illum ego privatis reserantem oracula tectis
 330 vidi, et perculsum famae melioris amore,
 331 hortantem non degeneres ad grandia natos.
 332 Saepe suos memorabat avos, memorabat avitas
 333 virtutes, praeclara domus monumenta paternae,
 334 adderet ut natis animos, imitabile patris
 335 nempe sui exemplum prudens ponebat, et inter
 336 propositos patres sese ; et sua facta tacebat,
 337 et magno genitore, et magna prole superbus.
 338 Nec procul hinc par Imperio, par Regibus ipsis
 339 Sillerius, summa pro majestate sedebat,
 340 cujus consiliis res Francae et jura vigeant
 341 inconcussa ; audax facinus, sub vindice tanto
 342 pro quaestu illicito venales figere leges.
 343 Hic quoties aulas penetrans, et limina Regum
 344 restitit orator : quam vellet sanguine fuso
 345 posse fidem signare, suis jam victima votis !
 346 Certabat patriae invigilans, in utrumque paratus,
 347 aut leges servare, aut certae occumbere morti.
 348 Ventum erat ad seros generosa hac stirpe nepotes ;
 349 Pomponium vidi intrepidum, gentisque togatae
 350 praesidiumque, decusque, et inexpugnabile pectus.
 351 At Themis, hos tollens oculos, quibus astra serenat :
 352 "Visa mihi solito major, seu grandis imago
 353 tot procerum mentem addiderat, seu pondera rerum.
 354 Tandem pulchre audax sic Regni arcana retexit.
 355 Vix bona pax Gallis maletuta ostenderat ora,
 356 nec dum compositi, belli armorumque tumultus :
 357 aere cavo increpitans Discordia, foederis expers
 358 spargebat causas odiorum, irasque movebat.
 359 Saepe renarrabat veterum memor illa malorum,
 360 et spretum Regem, et spretam cum Rege parentem :
 361 sed frustra ; numero procerum selectus ab omni
 362 Pomponius, rerum implicitas evolvit habenas
 363 propositi securus, et implacabile monstrum
 364 deditionis opus premit, incoeptosque labores
 365 Molaei, majore animo, majoribus orsis
 366 absolvit, non belligeris heroibus impar.
 367 Audite haec, memoranda cano, non fractus ab Aula,
 368 muneribusque, minisque, suo sed munere fultus
 369 ibat in adversos confidentissimus hostes,
 370 blanda majestate ferox. Jam disce, Senator,
 371 quid valeat legum non contemnenda potestas.
 372 Hic tandem moriens, manifesto numine plenus
 373 Harlaeum, legum ultorem et spem gentis avitae,
 374 haeredemque domus fracta inter verba vocavit.
 375 Haud Libitina tamen totum abstulit ; aspice juxta
 376 ingentem Belleuraeum, neque nomine tantum,
 377 quippe animis fratrem, ingentis solacia casus,
 378 quem si fata virum ! Fraternalia exempla secutus

379 Regis amor, populique pater, Themidisque fuisset.
380 Nam licet egregiae dotes, sit copia rerum,
381 sint tituli insignes, sit et olli splendor avorum ;
382 non fastu tamen ille tumet, sed ubique modestus
383 fortunam indocilem regit, et virtute coerces.
384 Quid memorem ut scelere immanes tremefecerit Anglos
385 orator, cum barbara gens audaxque Senatus
386 conjurata sui meditatur funera Regis ;
387 ut supplex, placidusque, minis mox asper acerbis,
388 conatus frenare animos in sceptris rebelles ?
389 Quid plura ? Immensum aequavit per singula nomen ;
390 et dubitamus adhuc, quo fonte accepit Achilles
391 humana majorem animam quam totus Olympus,
392 quam tot avi proavique, ad publica commoda natam
393 infudere ? Venit cognato a sanguine virtus :
394 hinc mentis vigor, hinc rebus solertia in artis,
395 et pietas, et prisca fides, rectique, bonique,
396 propositique tenax, et inexsuperabile pectus.
397 Qualis ubi vasto Ligeris jam maximus alveo,
398 quo plus progreditur, patrioque a fonte recedit,
399 plus surgit longum per iter, panditque fluentes
400 divitias undarum, et campo exceptus aperto
401 undique collectos sinuoso flumine rivos,
402 jamque suos, rotat exsultans, spoliisque superbit,
403 donec praecipiti prorumpat in aequora cursu.
404 Nec te praeteream, Harlaeae, spes altera gentis,
405 magnanime o juvenis : te propter, acerba dearum
406 lis oritur, te nam studiis aequalibus omnes
407 ultoremque suum, defensoremque reposcunt.
408 Sed me jam repetunt genialis foedera lecti :
409 urbs plausu infremuit magno, faustosque hymenaeos
410 vulgavit cita fama, futuri conscia partus.
411 Parce, Lamoniade, quem nuper fenore multo
412 optasti generum, quem votis omnibus Aula,
413 quem Rex ipse tibi sperata prole dicavit,
414 et meritis tecum, tecum et certabit honore.
415 Tu populos legum imperio frenare memento :
416 proteget Harlaeus patriae sibi credita jura,
417 et rerum ambages, et difficiles labyrinthos,
418 nodosque, anfractusque, et vincula caeca resolvat,
419 depositisque procul fugient mendacia larvis.
420 Quod si triste caput letalibus efferat umbris
421 pernicies regnorum, atris Discordia vittis ;
422 mox aderit sceletum vindex Harlaeus, et hostes
423 conteret, et priscos legum instaurabit honores."
424 Sic Themis, et toto Harlaei se pectore miscet.
425 Haec Belleuraeo vates de rure canebam,
426 tempore quo Lodoix, repetens dotalia jura
427 fulminat ad Scaldim bello, domitasque per urbes
428 se dominum probat, et fastus contundit Iberos,
429 jam meditando nova bella, novosque ex hoste triumphos.

AD EUMDEM ACHILLEM HARLAEUM,
CUI GRATULATUR SUPREMO GALLIAE SENATORI.

P_34 v.1 Respondere meis tandem pia Numina votis
2 coeperunt. Scandit Themidis sublime tribunal
3 Harleades, titulosque omnes implevit avitos.
4 Quantus honos atavis, et avis quae gloria ? Sese
5 agnoscunt omnes, uno exsultantque nepote.
6 Sed magis exsultant reparatae hoc vindice leges.

ACHILLI, ACHILLIS IN SUPR. SENATU PROCURATORIS REGII FILIO.

P_35 v.1 Harlaee spes gentis, amor, patriaeque voluptas,
2 et pars magna patris, nascere parve puer.
3 Dum tener es, tenero tibi fas praeludere versu,
4 succedatque gravi fistula blanda tubae.
5 Et jam te aspicere, et vultum observare tuendo,
6 et prima liceat simplicitate frui.
7 Tempus erit quo te populi, te turba clientum,
8 te legum in solio cinget amica Themis.
9 Aut bellatorem te Martia castra reposcent,
10 ambiet et densus miles utrumque latus.
11 Difficiles mihi tunc aditus, nec jam ora licebit
12 cernere, nec numeris te recreare meis.
13 Dum vacat ergo, tuae molli nutricis in umbra,
14 incipiam tecum ludere, parve puer.
15 Te blandum affari, dare collo brachia circum,
16 libare, et roseis oscula prima genis.
17 Harlaeum vocitare, tuosque ostendere nuper
18 extulit in caelum quos mea Musa, Patres.
19 Nam te, cum teneros aetas firmaverit annos,
20 seu sibi Mars repetat, seu sibi sancta Themis.
21 Quos tunc sumam animos ? Quanto te carmine dicam ?
22 Et qua voce tuum nomen ad astra feram ?
23 Mars galeas, tibi scuta feret, tibi tympana, et enses,
24 et bello insignes enumerabit avos.
25 Parte alia fasces monstrabit, et ordine longo,
26 proponetque patres, unde superba Themis.
27 Interea dubius tantam meditabere sortem,
28 "Quidquid eris, magno munere major eris."
29 Ast ego, quod cecini cultum et memorabile carmen,
30 Harleadum inscriptum nomine, rite feram.
31 Hic famam accipies, nomenque et facta parentum,
32 et celebres longa posteritate viros.
33 Tot proceres inter prior ostendendus Achilles,
34 ipse suae gentis gloria, et ipse caput.
35 Sancius hos animos, quibus olim contudit hostes,
36 te si forte vocant Gallica bella, dabit.
37 Si te pax, atavi firmum mirabere pectus,
38 quod nec seditio, nec fera vincla movent.
39 Sillerii totam agnosces ex ordine gentem,
40 et Belleuraee tot monumenta domus.
41 Pomponi rediviva, ingens occurret imago :
42 illa animos ingens pascit imago tuos.
43 Succedent gemini generosa e stirpe nepotes,

44 et decus, et columen, praesidiumque togae.
 45 Pomponius Themidis sceptrum inconcussa tenebit.
 46 (Non semel hoc Reges obstupere caput.)
 47 Hic fletus effunde Themis, namque occidet ille
 48 ante diem : ah ! Themidi semper acerba dies.
 49 Sed tamen, o nimio ne te permitte dolori :
 50 frater, qui reparet damna, superstes erit.
 51 Olli par gravitas, par experientia rerum
 52 par animus, par et gloria, parque vigor.
 53 Te Lamoniadem materno e sanguine dicet.
 54 Gestiet haeredem saepe vocare suum.
 55 Addet blanditias, simul alta exempla tuorum,
 56 miscebit lepidis grandia facta jocis.
 57 Ex illo disces dura virtute ferocem
 58 subdere fortunam, teque probare virum.
 59 Haec dum suspicies, toto se carmine prodet
 60 tantis Principibus mixtus ubique parens.
 61 Hujus at imprimis praeclara imitabere facta,
 62 o puer, ingentes et superabis avos.

CLAUDIO PELETERIO REGII AERARII PRAEFECTO, ET REGNI ADMINISTRATO.
CARMEN.

P_36 v.1 Non ego, pro summo, quo te donavit, honore,
 2 consilio longe egregius Lodoicus et armis,
 3 maxime Pelteri, aggredior tibi dicere carmen ;
 4 te quando ostentant, totaque loquuntur in urbe,
 5 quae, duce te, inscripsi venturis marmora saeculis ;
 6 ipsae etiam voces populorum, et publica vota,
 7 totque dati plausus, magni vim carminis aequant.
 8 Te, vates memorent alii, qui semper ad omnes
 9 fortunae strepitus arrecti, et plebis, et Aulae
 10 rumores avida aure bibunt, ut nempe parati
 11 pro vario rerum arbitrio, atque faventibus auribus,
 12 depromant male natum, et vix tolerabile carmen.
 13 Undique jam video subitorum examina vatium
 14 confluere, atque tuos turmatim invadere postes.
 15 Hos aptare tubas, illos resonantia plectra,
 16 scilicet accensi studiis aequalibus omnes
 17 certant supremis te tollere honoribus ; et jam
 18 per fora, perque domos, et totam effusa per urbem
 19 carmina pervolitant. Sed dum loquor, impete facto
 20 irrumpit jam turba tuos conferta penates.
 21 Este procul, puris quamprimum absistite tectis,
 22 nec curas turbate graves, haec debita Regno
 23 tempora, nec levibus, scelus est, absumite nugis.
 24 Scilicet et vates et vatium carmina curat,
 25 et praeconis eget, quem tollit ad aethera virtus,
 26 cui gaza Imperii, cui se fortuna resignat
 27 publica, quem dudum suspirans Gallia poscit.
 28 Debuit hic vestris celebrari versibus olim,
 29 curarum vacuus, quando dabat otia Musis.
 30 Ille bonam in Musas cognato e sanguine mentem
 31 hauserat, hunc etiam sub pectore servat amorem,
 32 at nunc fata obstant : tantum sine carmine vestro

33 nomen ubique sonat, simul et cum nomine, virtus
34 hoc pretium probitatis, inemptae et gloria famae.
35 Quis vestrum numero ex omni praeludere versu
36 coepit, et egregias animi describere dotes ?
37 Concilio Patrum in magno quando ille sedebat
38 par juvenis senibus gravitate, et pondera rerum
39 librabat pendens, nil tale ferentibus annis,
40 et manifesta dabat vastae praesagia mentis.
41 Paulatim, accessit postquam maturior aetas,
42 accessere novi, quos non ambibat, honores.
43 Urbi praeficitur ; tali confisa magistro
44 nostra ratis sese circum sternentibus undis,
45 magnis alta petens pandebat carbasa fatis.
46 Illius ad nutum se omnis Burgundia portus
47 invehit in nostros ; quin et Campania multa
48 fruge ferax, dominam gaudens portatur in urbem :
49 concurrunt amnes ambo, et concordibus urnis
50 jungere amant fluctus, seu se comitentur, et aequa
51 majestate fluant, seu vectigalia portent,
52 exuvias arborum ; hinc largo Copia cornu
53 annonam facilem pro tempore civibus offert.
54 Haec, quae digna cani, pudeat tacuisse Poetas.
55 An cecinistis, uti, interdum gravitate remissa
56 judicis austeri, sedanda in lite paternam
57 indueret mentem, positisque insignibus ultro
58 exhortans meliora sequi, descenderet alto
59 e legum solio, jus plebi ut redderet imae ?
60 Judice sub tanto, numquam Fraus ausa videri,
61 quaerebat noctem propriis non tuta tenebris.
62 Illius ad leges, inhians non amplius auro
63 mercator, fallendi artes, mendacia, fraudes
64 oblitus, contra pulchrae virtutis amore
65 discebat verum et colere, atque insistere recto.
66 Non ego praeterii, quanto te civis honore,
67 quo plausu exciperet. Tua quando nescia fastus
68 simplicitas, spectantum oculos rapiebat, et ora,
69 sponte, et promeritum tibi concedebat amorem.
70 Quid dicam attonitis reparatam civibus urbem,
71 magnificas aedes, patefactos undique vicos,
72 laxatasque vias, longisque canalibus actos.
73 Quos ultro non jam indocilis dat Sequana fontes ?
74 Quidve addam moles operum, artificumque labores,
75 atque triumphales sublimi fornice portas ?
76 Pugnae ubi bellantum descriptae, inimicaeque castra,
77 eversae Batavorum arces, centum oppida capta,
78 centum urbes, ipso stupeas fera proelia saxo.
79 Nant armati equites, domitoque incumbere Rheno
80 ad nutum Lodoici ardent. Sub milite denso
81 unda latet, victique gemunt sub fluctibus amnes,
82 Scaldisque, et Vahalis, Dubisque et Mosa, Tagusque,
83 haec monumenta super, visa est Regique, Tibique,
84 cum strepitu motis applaudere Gloria pennis.
85 Hic potanda omnis fuerat Permissidis unda,
86 et simul epoto effundi in praeconia Phoebos.
87 Tum mihi qualis eras, te talem ostendere versu
88 si licuisset, et in varias excurrere laudes !

89 An quisquam e Latiis, quos tollit fama, poetis
 90 certasset mecum ? Tu carminis ipse fuisses
 91 argumentum ingens, famae et pars maxima nostrae.
 92 Quamquam o ! praesaga quae te jam mente videbat,
 93 qua poterat mea musa, tibi quid catminis ultro
 94 tenrabat, non ausa gravi te dicere versu,
 95 pingebatque tuos aliena in imagine mores.
 96 Observabam avidus, quas tanta modestia dotes
 97 celabat, tu quandoquidem prodesse latendo,
 98 nil quicquam affectans ventosae laudis, amabas,
 99 spectandus media, ceu vir privatus, in Aula.
 100 Et memini, immensas dum tollis ad aethera moles
 101 victori Lodoico, ingens te gloria tanti
 102 principis urgebat, tulerat quot ab hoste triumphos,
 103 regina tot in urbe olli monumenta parabas.
 104 Te non famae avidum, non hujus laudis amantem,
 105 auctorem tantorum operum occultare volebas,
 106 quam frustra ! In magnis celari nescia virtus,
 107 te, nomenque tuum saxo ponebat in imo.
 108 Reddita virtuti merces sua, redditi honores,
 109 quos non quaesieras ; quo te magis ipse premebas,
 110 dissimulans benefacta, en protinus hoc magis alto
 111 ore sonans totam vulgabat Fama per urbem :
 112 hinc Urbs Pelterium sonat omnis, et omnia late
 113 compita Pelterium, et fontes, et murmure rivi,
 114 te Triton concha, te Naias et omnibus undis
 115 certatim celebrant. Civis miratur, et hospes
 116 tot fora, tot latos aditus, spatia ampla viarum,
 117 illa, illa imprimis. Quae sunt prope consita muros
 118 ulmorum ordinibus longis, urbemque coronant.
 119 Quin etiam undarum suspenso Sequana cursu
 120 jam duci patiens toto tibi flumine plaudit.
 121 Quo rapior ? Me longe alia, et majora reposcunt.
 122 Quali consilio, et quanta virtute probavit
 123 et populo. Regique fidem, dum in cardine summo
 124 res positae pendent ; date cantus, plaudite cives
 125 illius et querna procingite tempora fronde.
 126 Promeruit justos populorum, et Regis amores.
 127 Hinc tibi Borboniae gaza omnis credita prolis.
 128 Nec sat erat Franco te totum impendere regno,
 129 ni geminos fratres varia pro sorte vocares
 130 curarum in partem : supremo ex ordine Patrum
 131 ille foro dat jura, observantissimus aequi,
 132 quem si Gallica res jam jam sibi poscat ! Et alter
 133 servet ut extensos bello, et victricibus armis
 134 Imperii fines, Belgarum missus in oras.
 135 Illi omnes ferro domiti, rectore sub aequo
 136 indociles ponunt animos, non jam amplius hostes,
 137 victorem agnoscunt dominum, Francumque volentes
 138 accipiunt morem, frenoque assuescere discunt.
 139 Dum loquor, ecce novis titulis, et honoribus aucti,
 140 ambo rem populi, et Regis sacra jura tuentur.
 141 Te quoties gravibus Regni pro rebus agendis,
 142 delectum imprimis, et ad interiora vocatum
 143 consilia, atque etiam Luparae in penetralibus aureis
 144 suspicimus, curis quamprimum ingentibus aptum.

145 Crediderim illa ipsa, qua Rex te elegerat hora,
146 hanc ingentem animam, qua providet omnibus unus,
147 infudisse tibi, magnamque ad grandia mentem.
148 Protinus antevolans patrias cita Fama per urbes.
149 Spes de te excelsas, populis dabat optima de te
150 auguria, atque bonos in publica commoda mores
151 saepe renarrabat ; tua virtus saepe recursans
152 Principis ante oculos, pectus regale movebat.
153 Ille quidem rebus jam tum te destinat altis.
154 Interea subito percussa est Gallia casu.
155 (Abstulerat fidum Regi Mors dura ministrum.)
156 Nos suspensi animis, quem Gallica fata petebant ;
157 Rex nil tum dubitans, dudum te fixus in uno,
158 conventu procerum e medio, te seligit unum
159 participem curarum, et ad ardua quaeque gerenda
160 te vocat, atque omnes thesauri credit habenas.
161 Quo sensu populorum, et quanto denique plausu !
162 Nam quid dissimulem ? Tua quando rebus in artis
163 jamdudum perspecta fides, a Principe tanto
164 haec meruit titulos, quibus omnis Gallia sese
165 erigit exsultans, melioris conscia fati.
166 Omnia quae dicant non uno carmine vates.
167 Non ego sic, securus opum, securus honorum,
168 non alius quam nuper eram tibi, tuque vicissim,
169 quamquam tot titulis, summis et honoribus auctus,
170 non alius, dicende, venis, nil munera mutant,
171 qui plausus inter medios, Aulaeque favores,
172 fortunam virtute domas, nempe optimus idem es,
173 qui fueras praetor ; tua semper cognita virtus
174 ante ipsos titulos, semper sine munere magno
175 tu mihi magnus eras, vir moribus integer aequis,
176 nilque novi tibi succrevit, nisi publica cura
177 imperii ; cur ergo novos tibi scribere versus
178 instituum deinceps ? Nos haec vulgavimus olim,
179 cum facilem nostris praebebas cantibus aurem.
180 Nunc age commissam sortem, dum sedulus imple
181 grande ministerium, debes tua lumina Regno.
182 Ex quo etenim Virtus te alto spectanda Theatro,
183 non juris sinit esse tui, te ostendere multum est,
184 te Rex, te Civis, tete omnis et Aula petebat
185 jamdudum, qui factus eras et Regis, et Aulae
186 et simul Urbis amor ; ne te amplius eripe fatis.
187 Delituit nebula quando Sol obsitus atra,
188 subduxitque diem mortalibus, omnia languent :
189 quod si per rimas rarae modo nubis, ab alto
190 caelestes radios, ereptaque lumina terris
191 exserat erumpens, visa laeta omnia luce,
192 attollunt caput, et Solem rediviva salutant.
193 Exoritur tandem, et caelo se monstrat aperto.
194 Sed quid ego haec autem ? Durum tibi namque modesto
195 tot laudes audire tuas, et maxima facta,
196 et jam me increpitans servare silentia cogis ;
197 jam sileo. Quid enim vano te carmine dicam ?
198 Dum viva ante oculos, quam olim non impare versu
199 ostendi populis, Telleri exstabit imago,
200 Telleri ingentis, quo sese Gallia jactat

201 felicem custode, velit componere cui se
 202 majestas soliorum, unum quem publica patrem
 203 esse suum vox clamet, et ad sua commoda natum.
 204 Hoc grandi in speculo, hac te totum in imagibe magna
 205 suspiciam, nostro serus qui consulis Orbi.

AD VILLAM PELETERIANAM, QUAE DICITUR VILLA NOVA :
 EJUS AEDIFICIORUM SIMPLICITATE CLAUDII PELETERII,
 VEL POTENTIS MODESTIA DIGNOSTICUR.

P_37 v.1 Vos celsae turres, aequata palatia caelo,
 2 quotquot et audaci vos fronte lacessitis astra,
 3 tecta superba caput submitтите ; non procul urbe
 4 lene fluens prono quam fluctu Sequana lambit,
 5 Pelteriiis habitanda, mihi sese objicit aedes.
 6 Invideat nemo, quin civis, et advena laetus
 7 praeteriens laudet dominumque domumque salutet.
 8 Non illam censu populorum, auroque redemptam,
 9 demens Ambitio, neque tu Fortuna sub auras
 10 sese attollentem, caelo indignante, locasti.
 11 Hanc sibi praeclaro securam nomine sedem
 12 virtutem posuisse, omnis venerabitur aetas.

HIERONYMO PELETERIO COMITI CONSISTORIANO.

P_38 v.1 Egressus tandem e manibus, mea cura, tot annos,
 2 i nunc, culte liber, non quo te fama per urbes
 3 jam notum varias, vel gloria certa vocabit :
 4 sed quo sancta fides, quo te sacer imperat ardor,
 5 i, propera : dux monstrat iter, tibi commodat alas
 6 nec te cessat amor jamdudum urgere morantem ;
 7 ne dubita, castis Pelteri, illabere tectis :
 8 non tamen augustas intra fidentior aedes,
 9 nec tibi crede nimis ; novit nam scribere, tersas
 10 usque reformida tam sancti judicis aures,
 11 quem quondam juvenem doctae instituere Sorores,
 12 hunc vel adhuc maturum annis, positaque juvena,
 13 consilia inter magna, sua dulcedine mulcent,
 14 et recreant fractum per mille negotia pectus.
 15 Felix ! Si manibus te tractet, et otia captans
 16 si te forte legat, descriptos ordine longo
 17 omnes Harleadas, armisque togaque superbos
 18 suspiciet, patriae pro libertate tuenda,
 19 pro sancto legum imperio, pro regibus ipsis
 20 magnanimos heroas, ut atri carceris horror
 21 non fregit factos nimia virtute nocentes.
 22 Praesertim observet, decora inter tanta, verendum
 23 tam blanda gravitate senem, cui cedere amavit
 24 majestas soliorum illumque audire Catonem.
 25 Ille est Telerius, summos qui moribus aequis
 26 Astraeae implevit titulos, nec major ab illis
 27 fortunam indocilem dura virtute subegit.
 28 Laudatos inter proceres, capita alta senatus,
 29 vix sese agnoscat, licet omnes lumine vincat,

30 Pelterides (se dissimulat sibi conscia virtus)
 31 ille quidem tantarum accensus imagine rerum,
 32 laudabit mores, laudabit et optima facta,
 33 nil sibi sed sumet ; tu cautior occule fraudem,
 34 nomen ne apponas, alio sub nomine tutus
 35 hunc totum expones, sese mirabitur heros,
 36 sic moresque suos, sua facta, animumque probabit :
 37 nec titulos addas, nec scribas nomen in auro,
 38 laudari metuit, nec amat praeconia vatium,
 39 qui virtute sua, et meritis ingentibus implet
 40 ingentem famam ; servatis legibus illis,
 41 spero equidem, nec mens me fallit vana, placebis.

HIER. PELETERIO S. CONSISTORII COMITI,
 AD LEMOVICOS, PICTONICOS ET SANTONES,
 PRO RETAURATIONE JUSTITIAE PROFICISCENTI, ANNO MDCLXXXVIII.

P_39 v.1 Quo properas magnis, Pelteri, debite fatis,
 2 cur adeo tristes tendis adire plagas
 3 tempore quo Franci tractanda negotia Regni
 4 dudum sollicitos detinuere Patres,
 5 nescis, quae dubiis accedant pondera rebus
 6 iudice te, nescis, quamque superba Themis.
 7 Quantus apud Regem pro majestate tuenda
 8 imperii, valeas, quamque probata fides ?
 9 Partiri curas tibi convenit : haec tua virtus
 10 maxima te juris non sinit esse tui.
 11 Scilicet is fratrum labor est, ea cura tuorum,
 12 hi, sine te, dices, publica jura regant.
 13 Rem Francam assidui, Regnique talenta gubernent ;
 14 haec te cura tamen, te manet iste labor.
 15 In partem venias oneris, nec ferre recuses ;
 16 fraternis humeris et leve pondus erit.
 17 Tergeminos fratres cum publica commoda poscant,
 18 deficeres solus ? Dum tuus urget honos.
 19 Ipsi te revocant. Sancto tibi foedere junxit
 20 quos natura minus, quam probitatis amor ?
 21 Plus Themidi debes, quae te formavit alumnum,
 22 quam quae Pictonico dat sua jura Foro.
 23 "Cur ergo properas, magnis, vir debite, fatis ?
 24 Cur adeo tristes tendis adire plagas ?"
 25 Quam vellem blando properantem sistere versu ?
 26 Carminibus vates hoc potuere suis.
 27 Non ego conquererer, mihi soli solus abesses,
 28 pectore sub tacito viveret ille dolor.
 29 Solarer tristes sub iniquo tempore Musas
 30 quas dulci alloquio, muneribusque foves.
 31 Quamquam te absentem flent semper, teque requirunt
 32 et repetunt nomen nocte dieque tuum.
 33 Nec cessant de te alta loqui ; te nempe silerent,
 34 a quo praecipuum nomen, honosque venit ?
 35 Pro reditu votiva tuo, quae forte probasses
 36 carmina tentassem ; triste doloris opus.
 37 Quae clam dissimulas canerem benefacta, tuasque
 38 aggrederer vastae dicere mentis opes.

39 Et tua, qua geminis fueris non fratribus impar,
 40 morum nobilitas non reticenda foret.
 41 Sic ego carminibus mulcerem taedia nostris.
 42 Saepe gravis docta fallitur arte dolor.
 43 Quin etiam, qui me immerito dignantur honore
 44 nobile par fratrum me modo flere vetant.
 45 Nam parte ex aliqua te contemplarer in illis,
 46 vel potius totum te reperiret amor.
 47 Cernerem in ambobus candorem mentis honestae,
 48 magnanima et tutam simplicitate fidem.
 49 Verum quod Patribus, Populoque, Aulaeque, tuisque
 50 et mihi surriperis, non ego jure querar !
 51 Talia dum scribo, Themis indignata repressit
 52 scribentis calamum, cum calamoque manum.
 53 Forsitan ignoras, dixit, vimis anxie vates,
 54 vindicibus nullis me mala quanta premant.
 55 Qua Crosa, et Clanis, refluaque Caranthonus unda
 56 urbes Santonicas, Pictonicasque rigant.
 57 Legum nullus honos, nulla est reverentia juris.
 58 Est pro lege, favor ; pro pietate, dolus.
 59 Venalis iudex, auro venalia jura,
 60 fraus secura sui, jus scelerique datum.
 61 Foedera connubii, atque tori violantur honores,
 62 non est tuta sacra casta puella domo.
 63 Inconcessa sibi usurpans malesuada Cupido,
 64 heu miserum ! Raptis crescit opima bonis.
 65 Haec mea, ut instauret quae sunt prope perdita, jura,
 66 Pelterides, quo Rex imperat ire, volat.
 67 Nonne vides nostro ut vigilet Lodoicus honori,
 68 omnia ut in priscum jam rediere decus !
 69 Ut regalem animum curas extendat in omnes,
 70 felici ne quid peccet in imperio ?
 71 Quas ferro domuit, regit aequis legibus urbes,
 72 quam rapidus victor, tam bonus ille pater.
 73 Et Sancto et Lemovix, et qui bibit incola Clanim,
 74 gens freni impatiens, indocilisque regi,
 75 sola impune meos legum temeraret honores
 76 scilicet, atque sibi plauderet ausa nefas ?
 77 Cur ergo quereris ? Non est tua justa querela.
 78 Promptus eat, quo nunc regia jussa vocant.
 79 Ille est Pelterides, Pithoeus sanguis : in illo
 80 agnovere suam saecula prisca fidem.
 81 Non illum absentem suspiret Curia Patrum :
 82 nam quo tendit iter jussus, et ipsa sequor.
 83 Quaesitor scelerum, metuendi Principis iras,
 84 illi deposuit fulmen, ubique ferat.
 85 Jam tulit, et memini, vector sic fulminis ales,
 86 qua volat, horrendos incutit usque metus.
 87 Non semel Arverni montes tremuere tonantem.
 88 Fumant fulminea culmina versa manu.
 89 Vidistis, vos purpurei capita alta Senatus,
 90 quot scelera infaustis incubuere plagis ?
 91 Sanguine lustrali tellus scelerata piatur ;
 92 ultrix insequitur debita poena reos.
 93 Vindicibus poenis lapsos reparastis honores,
 94 legibus et rediit, qui fuit ante, vigor.

95 Quid non perfida gens ! Supremo ex ordine Patres
 96 rebus compositis vix rediere domos,
 97 cum redit ira, jugum excutitur, rediviva resurgunt
 98 crimina ; quae latuit flamma resecta furit.
 99 Pelterides populos jussus frenare rebelles,
 100 indomita et legum subdere colla jugo.
 101 Ipse animos addit Lodoix, omnisque Senatus
 102 soli jura dedit, Curia solus erat.
 103 Illius ad reditum videas pallescere sontes,
 104 anxius invadit conscia corda pavor.
 105 Hunc ubi conspexere, furor cadit omnis, et ultro
 106 tela exarmata mox cecidere manu.
 107 Tantus honos legum, tanta est reverentia Recti,
 108 tantum experta fides, et bona fama valent !
 109 "Cur ergo quereris, non est tua justa querela.
 110 Promptus eat, quo nunc regia jussa vocant."
 111 Publica res modo salva, suorum oblitus abibit,
 112 et tua non addent carmina blanda moras.
 113 Haec dicens fugit ex oculis, vatemque relinquit,
 114 et simul e nostro pectore maeror abit.

LUDOVICO PELETERIO, CLAUDII FILIO, DESIGNATO DESIGNATO PRAESIDI INFULATO.
 CARMEN CONNUBIALE.

P_40 v.1 O bone Hymen castis Pelteri illabere tectis,
 2 non est in terris purior ulla domus.
 3 Hic, tutela domus, fuci expers, integra virtus,
 4 hic habitat niveae simplicitatis amor.
 5 Te Pietas, te Relligio, de sedibus altis
 6 quamprimum ut venias, Paxque, Themisque vocant :
 7 fer taedam socialem, et amantes foedere jungas ;
 8 quis sponsus ? Qualis sponsa ? Hymenaeae, vides ?
 9 Quantus in ore pudor ? Quis honos ? Quae gratia vultus ?
 10 Quam blanda mixtus cum gravitate lepos ?
 11 Virgineos servet quam puro in pectore mores ?
 12 Et quantis animi dotibus emineat ?
 13 Fortunae tot opes, quas praedicat, has sibi servet
 14 ambitio, virtus virginis, optima dos.
 15 Faustum omen ! Sese promissa virgine jactat
 16 sponsus ; promisso se quoque sponsa viro
 17 ille est, quem nuper, nil tale ferentibus annis,
 18 orantem causas obstupere Patres.
 19 Rex vel adhuc juvenem trabeatis Patribus addit :
 20 ni faceret, supplex posceret ipsa Themis.
 21 Annos, nonne vides, incuset ut illa morantes.
 22 Quamquam o ! consiliis crederet esse senem.
 23 Quam pater optaret tali decedere nato,
 24 atque illi fasces deposuisse suos ?
 25 Ergo rumpe moras, et necte jugalia vincla,
 26 vinciri dociles tendit uterque manus.
 27 Dum loquor, et toto rapidus descendit Olympo,
 28 aureaque ambobus vincula jecit Hymen.

IN NUPTIAS JAC. STEPHANI TURGOTII ET CLAUD. PELETERIAE.

P_41 v.1 Ex quo Peleterias intravit pronubus aedes,
 2 venerat unde, polum non remeavit Hymen.
 3 Scilicet aligerum vetuit chorus omnis Amorum,
 4 gaudiaque, et lepidi, turba faceta, joci,
 5 injecere moras genialis foedera lecti,
 6 et qui praeses erat, connubialis Amor.
 7 Virgo sed imprimis vultus demissa modestos,
 8 nobilibus dudum virgo petita procis.
 9 Non auro, aut gemmis, aut toto crine superba,
 10 virginis ornatus, multus in ore pudor.
 11 Virgineo spectantum oculos ut frontis honore,
 12 sic animos morum nobilitate rapit.
 13 Turgotio promissa diu, promissus et ille,
 14 faustum exspectabant, quem reperere, diem.
 15 E myrtho, o pueri ! Geminas aptate corollas,
 16 nectiteserta, sacris spargite thura focis.
 17 Templum intrant, tanguntque aras, testantur Olympum,
 18 inque vicem aeternam jurat uterque fidem.
 19 Protinus exsultans media inter gaudia turbae,
 20 talia fatidico pectore fudit Hymen.
 21 Qualis erit ! Qui jam antevenit virtutibus annos,
 22 aequat vel juvenis jam gravitate senes.
 23 Illius in toto legitur sapientia vultu ;
 24 si quid inest duri, temperat oris honos.
 25 Quam felix tali nascetur foedere proles !
 26 Sese unde attollat Turgotiana domus.
 27 Jam video fasces, trabeas, sellasque curules,
 28 et legum e solio dicere jura Patres.
 29 Accendent seros atavorum exempla nepotes,
 30 illis saepe pater, saepe recurret avus.
 31 Tergemini accedent, Themidis nova sidera fratres,
 32 quorum vel solo nomine tuta Themis.
 33 Inter blanditias Fortunae, Aulaeque favores,
 34 ex illis discent non violare fidem.
 35 Omnes accensi studio virtutis avitae,
 36 qui fuerint atavi, pignora certa dabunt.
 37 Fortunati ambo ! Quibus haec sunt debita fata,
 38 fortunata magis, postera saecula canam.
 39 Vix ea, plausit Hymen, sacris et rite peractis
 40 sidereas repetit, venerat unde, domos.

MICHAELI TELLERIO, FRANCIAE CANCELLARIO.

P_42 v.1 Et sunt qui meritos virtuti impendere honores
 2 jam dubitent ? Ex quo Themidis supreme Sacerdos
 3 Telleri, toto procerum applaudente Senatu,
 4 sanctum, augustum, ingens, legum sublime tribunal
 5 conscendis trabeatus, et omni denique regno,
 6 tutus depositi ingentis Rex dicere jura
 7 dat tibi, dum toto versat sub pectore bellum.
 8 Sive tuae virtutis opus, seu justa voluntas
 9 principis haec fuerit, quando rationibus aequis
 10 ad summos simul ambae apices te attollere certant ;

11 quidquid id est, votis respondent omnia nostris.
12 Sint alii, qui per titulos sibi nomina quaerant,
13 qui pacta mercede, alta ad fastigia rerum
14 immeriti aspirent, et non venalia, magno
15 conducant pretio sanctarum munia legum,
16 unde salus populorum, et pendent publica jura.
17 Fortunam captent alii, et popularibus auris
18 gaudentes, vecti aurato per compita curru,
19 cum turba famulantum et conspicuo comitatu
20 se populo ostendant : plausus gens vana secundos
21 aure avida bibat, et fumo se pascat inani.
22 Non illo fastu, pompa non indiget illa
23 Tellerius, facit ipsa sibi spectanda per urbem
24 grande satellitium virtus. Quin civis et hospes
25 illum oculis longe, et votis comitantur euntem :
26 hoc pretium virtutis, inemptae haec gloria famae.
27 Quam vellet premere hanc animam, qua se altior effert
28 supra alios longe proceres, minor ipse videri,
29 se celare sibi, et patriae prodesse latendo !
30 Fata obstant, hunc publica res sibi postulat unum.
31 Qualis ubi flos ille tener, cui plurima virtus
32 intus inest, molli primum sese exerit herba :
33 et quamquam ipse suos jam tum praesentit honores,
34 vixdum se reliquis crescendo floribus aequat.
35 At postquam Solem accepit, non amplius ille
36 se celare potest, ad amicae munera lucis
37 sublime erigitur, socios premit undique flores
38 ornatu foliorum : alto se vertice sursum
39 tollentem Sol almus amat, formansque tuenda
40 dat totum durare jubar, radiisque coronat.
41 Grandius ora sonent, laudum argumenta tuarum
42 longe alia, atque alios tibi nunc meditamur honores.
43 Non ego te dicam, primo sub flore juventae,
44 ante diem, maturum animi ; non illa retexam
45 facta, quibus doctos arrexeris ipse magistris,
46 cum dubiis responsa dares certissima rebus.
47 Non addam, ipsa tuo ut virtus se pinxerit ore :
48 quo tu cumque oculos, gressus quocumque ferebas,
49 divinum afflabas pulchrae virtutis amorem.
50 Quid memorem quantis te optarit Gallia votis
51 augurio felix, te regia jura tuentem ?
52 Aetatem supra, et nil tale ferentibus annis,
53 audierat te fortem animi, te rebus in artis
54 concilio regni in magno obstupuisse loquentem,
55 incanos proceres, Franci capita alta Senatus.
56 Prima rudimenta, atque tuae praesagia sortis.
57 Tu populis, tu Principibus, tu debitus Aulae
58 poscenti toties, sacra in penetralia Regum
59 ingredi, et summis jam disce assuescere rebus.
60 Fors erit, ut quondam civilibus excita bellis
61 Gallia, dum praeceps sub sceptro impubere certum
62 ibit in exitium, per te sibi reddita tandem
63 attollat sese : sed enim pro munere tanto
64 exsul eris, jam tum patriae vel maximus ultor.
65 Haec tua sors, solii pro majestate tuenda
66 obfirmare animum, et numquam desistere coeptis.

67 Cognita jampridem Imperio tua maxima virtus
 68 te juris vetat esse tui, cur vota moraris
 69 publica necquicquam obluctans ? Majore theatro
 70 spectandus, magnum tandem subducere cessa
 71 te Patriae exemplum. Veluti si nobile flumen,
 72 grandes tenet aquas, dum praeterlabitur urbes,
 73 dum fecundat agros, tacitis evolvere ripis.
 74 Indignati omnes facto velut agmine fluctus,
 75 frenantem cursus solitos, ac lene fluentem,
 76 vi multa urgerent fluvium, nec jam amplius amnis.
 77 Molibus aggestis glomerati vorticis undam
 78 sustineat, donec thalamo jam liber aperto
 79 divitias magnarum ingens effundat aquarum.
 80 Interea attonitas tuba bellica personat Alpes.
 81 Heu, quae bella ! Imis tremuit Padus ipse sub undis,
 82 ipsae Alpes tremuere : metus jam ponite vestros
 83 Taurini, et celsis subjectae montibus urbes.
 84 Pro re Franca, Alpes Tellerius ibat ad altas,
 85 et paribus curis magno conjunctus Iulo,
 86 quae tot castra ducum, quae non potuere tot anni,
 87 conjurata odia, et tristes compescuit iras.
 88 Illum omnes mirari, illum nova jura ferentem,
 89 armatique duces media inter castra togatum
 90 suspicere, illum etiam pacis consulta probantem.
 91 Ni faciat, fluerent cognati sanguinis amnes ;
 92 tinctaque fraterno stillarent arma cruore.
 93 Audiit haec Lupara victor Lodoicus ab alta.
 94 Tum circumvolitans Telleri absentis imago
 95 ante oculos magni se plurima principis offert,
 96 "Et dubitamus, ait, regni praeponere rebus
 97 instructum belli arcanis, pacisque ministrum ?"
 98 Additur ad clavum regni, bellisque regendis
 99 praeficitur : plausit Mars Gallicus omnibus armis.
 100 Noverat et mores populorum, atque intima Regum
 101 consilia, altarum nodos, et pondera rerum,
 102 hostilesque dolos bellantum, inimicaque coepta ;
 103 quid Germanus atrox, quid Belga, feroxve Britannus,
 104 quidve sui retinens juris meditetur Iberus.
 105 Sed quid ego haec ? Lacera testis mihi Gallia palla
 106 dum cladem toti Imperio, exitiumque pararet,
 107 seditiois opus, belli implacabile monstrum.
 108 Funditus eversae leges, ruere optima jura.
 109 Quin etiam Francus vocat in certamina Francum.
 110 Plebs freni impatiens, nullisque coercita habenis
 111 demens ! In patriam, in sese conversa ruebat.
 112 Non secus ac vacuos nullo moderamine currus,
 113 carceribus ruptis rapiunt sine more quadrigae.
 114 Aut velut excusso navis spoliata magistro,
 115 frenari indociles quam venti evertere certant,
 116 volvitur arbitrio undarum, et jam victa fatiscit.
 117 Talis erat Patriae nimium infelicis imago.
 118 Stant adversae acies. Tantis Tellerius ausis
 119 obniti, laesos sceptrorum ulturus honores.
 120 Hinc odia, hinc inimicitiae, insanique furores
 121 confusae plebis, caecique licentia ferri.
 122 Ille animi intrepidus, dubios dum mente profunda

123 eventus agitat : "Furor omnis detonet, inquit.
 124 Armorum furor omnis, et in me saeviat unum,
 125 cedimus : ancipitis Patriae prodesse saluti
 126 dura per exilia, atque etiam dum perdimur, aequum est."
 127 Absentem flevere duces, re Gallia flevit,
 128 flevit et horrendis durus quoque miles in armis :
 129 victoremque pudet, sequitur dum gloria victum.
 130 Non tamen hinc tristis Patriae deponis amorem,
 131 secessu in placido nemorum deserta per alta,
 132 ceu Numa Romanae dum leges conderet urbi.
 133 Ipse inter natos medius pater : "Auspice caelo,
 134 placabas votis Superos, Patriaeque litabas :
 135 grande tuis exemplum, et quondam imitabile natis.
 136 Atque etiam Regi prodesse vel exsul amabas.
 137 Sic ubi fertilibus tollunt se gramina campis
 138 undique laeta, fluunt altae sub viscera terrae
 139 arcani fontes, qui clam radicibus imis
 140 vitales succos, et caeca alimenta ministrant.
 141 Tum curvasse ferunt ramum felicis olivae
 142 pacis in augurium, silvestria numina, nymphas.
 143 Quid moror ? Ecce redit laetam haud inglorius aulam,
 144 luctatus toties, fatis sed major iniquis.
 145 Aspiceres laetum remeanti applaudere Regem.
 146 Pax illo redeunte redit : date lilia nymphae,
 147 Sequanides nymphae." Mox ille incumbere rebus
 148 acrius et curas omnes impendere Regno.
 149 Nec minus ipse suos, per mille negotia fractum,
 150 adjicit ad natos, animum : decora alta futuros
 151 imperii praesentit, et imo pectore versans
 152 natorum spes eximias, sibi plaudere dudum
 153 impatiens, tantos vix sustinet aequus honores.
 154 Hunc adeo imprimis, signat quem justior aetas,
 155 muneris haeredem patriis virtutibus implet.
 156 Huic Rex grandem animam pro grandibus addidit ausis.
 157 Inde animi vis illa, audax, patiensque laborum.
 158 Si bellare parat, Martemque lacescere ferro
 159 terribilis Lodoicus, et hostem in proelia poscat.
 160 Stant acies, stant castra, duces, seges aerea campis,
 161 congeries armorum, et Martis dira supellex,
 162 torvi Brontis opus, castris si providet ; ecce
 163 per medias hiemes, alienis mensibus anni,
 164 ad nutum fecunda suis cum messibus aestas
 165 huc properat : tanta est castrensis copia victus.
 166 Non acies campo, toto non aequore classes.
 167 Nec nova tartareis fabricata incudibus arma,
 168 crediderim, tanto regnum munimine firmant,
 169 quantum consilio, et cura quantum ille sagaci.
 170 Haud illo inferior frater, patris altera cura,
 171 celsum auro caput effulgens, mitraque verendum
 172 ante omnes, quanta se majestate ferebat !
 173 Et nuper quibus eloquiis ! Seu diceret alto
 174 sublimis solio, seu regem orator adiret.
 175 Hinc caput attollunt tanto de praesule Rhemi,
 176 felices Rhemi, quibus alium cernere lumen
 177 contigit, et primos tam fausti sideris ortus.
 178 Quin etiam ille sacris ut priscum instauret honorem,

179 delubra erigere, et sanctos praescribere ritus.
 180 Informare pios mores, perque oppida gentes
 181 lustrare innumeras, Christique accendere amorem.
 182 Omnibus intentum, miseris dare jura, querelas
 183 excidere, et longas tandem componere lites.
 184 "O bene concordēs ad publica commoda Nati
 185 tergemini heroes : tales Themis optima, tales
 186 relligio, tales regno Bellona petebat."
 187 Perge modo, ecce novi incipiunt tibi surgere soles :
 188 perge, senex venerande, ausis ingentibus imple
 189 grande ministerium. Te jam omnis curia Patrum,
 190 te populi, te Astraea redux, te Gallia dudum
 191 munus ad hoc regale, magistratumque vocabant.
 192 Ad titulos post vota venis : fastigia tanta
 193 quae sperasse, nefas aliis, te certa manebant.
 194 Salve o ! Tot votis Franco datus arbiter Orbi,
 195 principis interpres, decus admirabile saeculi,
 196 tu famam ingentem meritis ingentibus aequas :
 197 externae nil lucis egens, tu lumine fulges
 198 purius ipse tuo, tu sanctis sanctior ipse
 199 surgis in exemplum Patribus, te respicit unum
 200 aula, suos per te discit componere mores,
 201 non raudes, non insidiae, non amplius artes,
 202 mille nocendi artes, fugient litesque malignae,
 203 et male tuta frement positis mendacia larvis.
 204 Te summo legum in solio chorus ambiat omnis
 205 virtutum, te Relligio, Pietasque, Fidesque,
 206 et niveus Candor, purae bona gaudia mentis ;
 207 omnes legiferi, clari virtutibus omnes,
 208 te longe aspicient, observabuntque tuendo,
 209 aequabis gravitate ferentem jura Solonem,
 210 Romanumque Numam, Lacedaemoniumque Lycurgum.
 211 Tractabis manibus puris Regale sigillum,
 212 unde ibunt populos Regis decreta per omnes.
 213 Nec laus haec fuerit laudum postrema tuarum ;
 214 Regificos inter luxus, Aulaeque favores,
 215 fortunam indocilem austera virtute tenebis
 216 sub pedibus, partos meritis tot et inter honores,
 217 sola triumphabit pompae nil indiga virtus.

CAVILLAEI RURIS NYMPHA.

P_43 v.1 Mollibus in pratis dum nuper luderet Aegle,
 2 una Cavillaeas inter celeberrima nymphas,
 3 audierat, namque is rumor jam creber in urbe,
 4 Tellerium summis titulis, et honoribus auctum.
 5 Unde sibi rurique suo sperabat honores,
 6 demens ! Quae domini mores experta modestos
 7 hactenus, insanos agitabat pectore fastus.
 8 Major visa sibi, et fortunae oblita prioris,
 9 tum socias coepit paulatim temnere nymphas,
 10 nec jam ferre pares : latis ubi praesidet arvis,
 11 affectat nova jura, novasque imponere leges.
 12 Is nymphae fastus nymphas urebat agrestes :
 13 scilicet illa ferox animi, incessuque superbam

14 haud solito mentita deam, toto ore sonabat,
15 per montes vallesque, Cavillaeosque recessus,
16 Tellerium, Francas pandentem edicta per urbes,
17 curarum strepitu procul, et popularibus undis,
18 illum velle suo interdum secedere ruri.
19 Liber ubi respiret, et otia dulcia carpat ;
20 jam prope adesse, suae supremos inter honores,
21 non adeo villae oblitum, immemoremque suorum :
22 et narrabat, uti lento pede cernua vultus
23 turba ministrantum fasces praeferret eunti,
24 clavosque, trabeasque graves, cum torquibus aureis,
25 et quas tingit honos sacro murice vestes,
26 et libram Themidis, necnon pro jure tuendo
27 terribiles hastas, nudos monstrabat et enses.
28 Hac non visa tenus rudibus spectacula nymphis.
29 His super addebat Regem Regalia jura
30 munus ad hoc cessisse, suos et frontis honores,
31 et capitis radios. Hinc sacro erumpere vultu
32 fulgura, quae blando placidus ni temperet ore,
33 terreat attonitas majori numine nymphas.
34 Illae autem trepidare, iterum petere antra, recessusque
35 umbriferos, vallasque cavas, et stagna profunda,
36 Naiadum hospitia, et, nativa cubilia, rupes.
37 Interea, densis properant dum se abdere silvis,
38 exspectatus adest, tacitusque supervenit Heros,
39 omnia, ut ante, sibi similis : villamque salutans
40 ipse suam, geniumque loci, antiquosque penates
41 agnoscit. Laetis subito se sustulit undis
42 nympa cava sub rupe latens, et murmure blando
43 grata salutavit dominum, et plausum edidit urna.
44 Ante fores nulli strepitus, non cardine valvae
45 ingentes crepuere : ultro se janua pandens
46 accepit venientem, et sensim admisit in hortos.
47 Non vigiles hic excubiae, durusve satelles
48 torva tuens primos aditus praecluserat : uno
49 tuta satis custode domus. Non arma, neque illum
50 hastati circumsistunt : hos alter honores
51 ambiat, ille sua se majestate tuetur.
52 Felices silvae, loca sola, umbraeque silentes,
53 secessus placidi nemorum, collesque beati !
54 Quando per vestras, quae maxima gloria, valles,
55 fortunae populorum omnes, et fata reguntur.
56 Aspiceres nemus attonitum, circum arva silebant :
57 non volucres cantu, rauco non murmure fontes,
58 verticibus leviter motis non undique silvae,
59 aurarumve leves animae, turbastis amicam,
60 res agitat regni vasta dum mente, quietem.
61 Una Dryas fertur veteri dudum abdita trunco,
62 per tenues rimas laxato cortice furtim
63 Tellerium vidisse, animumque explesse videndo,
64 protinus exsiliens pavidas vocat illa sorores,
65 namque omnem nondum exuerat vaga turba timorem :
66 audaces facit illa, citae cava tecta relinquunt
67 ora exsertantes. Veluti si inulta palumbes,
68 quas fera tempestas sub turribus abdidit altis.
69 Contigerint puri soles, et aperta serena,

70 ad pastum redeant, et pabula nota requirant.
 71 Huc Galatea venit, venit hic formosa Lycoris,
 72 flava Thoe, subfusca Ephyre, pharetrata Ligea,
 73 ambae Sequanides, rosei quoque plena pudoris
 74 candida Nina, emeret totis quam uxorius undis
 75 Sequana, virgineum pectus si dona moverent.
 76 Huc etiam venere, habitant quae Numina valles,
 77 Versalias valles, habitant quae numina montes.
 78 Vos quoque Sanclovias circum quae luditis undas,
 79 ornatae vittis vos versicoloribus omnes,
 80 Naiades huc venistis, et omnibus excita pagis
 81 rustica plebs, cantans venit ipse bipennifer Algon,
 82 cum Lycida frondator Ilax, terrorque lupotum
 83 Alphisiboeus, et alta ingens cum falce Menalcas,
 84 et Corylas puer, et villosus membra Palaemon.
 85 Auribus arrecti, defixi obtutibus omnes,
 86 Tellerium observant taciti ; ne immensa tuentem
 87 lux oculos perstringat, in imis vallibus omnes,
 88 omnes frondiferum nemorum per opaca latebant.
 89 O quam nuda places operosi nescia fastus.
 90 Simplicitas ! Lucis agitatem multa sub altis,
 91 non radiantem auro, nulloque satellite septum,
 92 unum omnes trepidi longe admirantur, et unum
 93 certatim aspiciunt : stupuere, avidique tuendo
 94 vix credunt oculis, iterumque iterumque revisunt.
 95 Pro turba famularum et conspicuo comitatu,
 96 illi aderat magna inspirans comes unica Virtus.
 97 Nympha loci erubuit, tanto praesente magistro
 98 dedidicit primos jam non temeraria fastus.

PETRI ALEMANNI CANONICI REGULARIS S.G. ACAD. P. CANCELLARII
PIIS MANIBUS.

P_44 v.1 Felices animae, quas dudum exercita terris
 2 ante obitum patrio Virtus transmisit Olympo.
 3 Nam licet exuerint nondum mortalia vincla,
 4 terrenosque artus, votis tamen omnibus ardent
 5 caelestes habitare plagas, et jam sua regna :
 6 unde boni fons omnis, et omnis lucis origo.
 7 Has ego crediderim natas melioribus astris,
 8 formatas meliore manu, jam velle reverti
 9 in superas sedes, ubi plena et sancta voluptas,
 10 et purum bibitur media inter gaudia Verum.
 11 Talis eras, Alemanne, ex quo tibi fulsit ab alto.
 12 Lux major, mentemque atra caligine mersam
 13 illustrans, dedit humanos attollere sensus
 14 ad caeleste jubar, purique ad luminis ignes.
 15 Quippe tibi ante diem manifesta in luce videndum
 16 se praebet Deus, et toto se numine prodit.
 17 Sic ubi subjectis solem speculamur in undis,
 18 sublustri tectum aut nebula, mox aethere aperto
 19 suspicimus radiantem, alto dum regnat Olympo
 20 arduus, et terris pleno sese explicat orbe.
 21 Dic quibus illecebris, quo sese ostenderit ore
 22 Relligio ? Dic qua vi, aut qua dulcedine captum,

23 illa subintravit secreto tramite pectus,
24 quae titubantem animum, et multa in diversa ruentem
25 firmavit pietas ; dic et quo numinis haustu
26 coeperis et juvenem te te subducere turbae
27 paulatim, atque tuos jam alius componere mores.
28 Scilicet ille tonans dum urget, terretque nocentes.
29 Fulmineo eloquio, sacrisque impervia telis
30 pectora perrumpit, moresque emendat iniquos
31 durius increpitans ; illum Deus increpat intus,
32 intus inest, mentem propior descendit in imam
33 illapsu tacito, et toto se pectore miscet.
34 Dicenti nova lux oritur, secreta recludit
35 hac abstrusa tenus, nec jam sua verba profundit
36 orator : sese ipse docet, sese arguit ultro,
37 ipse sui iudex, animo multa anxius haeret
38 multa agitat, longum meditatur, et excutit altum
39 pectus et explorans qua parte illapsa teneret
40 nox animum, sensusque omnes, de pectore casto,
41 qui latuere diu, sopitos suscitavit ignes,
42 aethereos ignes, et sacrae semina flammae.
43 Hinc totum Phoebum excutere, ejurare Camenas,
44 et veterum figmenta, et inania numina vatium,
45 reliquias divum infames, ludicra pudenda.
46 Mox dulces calamos, atque aurea ponere plectra
47 atque lyram, atque tubam, vanas et Apollinis artes.
48 Haec alii : tu plena Deo, tu sacra fluentia,
49 longe alios fontes, melioraque flumina potas
50 unde sitim, quae te miserum noctesque diesque
51 urebat, largo posses compescere potu ;
52 hinc Veri sincerus et insaturabilis ardor,
53 hinc venere etiam segnis fastidia vitae.
54 Quam nunc et longos vellet tolerare labores,
55 et durum virtutis iter calcare premendo !
56 Cernere erat toto spirantem pectore Christum,
57 hunc unum sitit, unum ardetque et deperit, unum,
58 cetera fastidit, nil jam mortalia curat.
59 Quin etiam humanos, morum contagia, coetus
60 integer ut vitet, longe popularibus undis
61 clamorosas urbes fugere, et se condere silvis.
62 Nec suus esse velit, sanctis sub legibus ambit
63 omne aevum exigere, atque alieno vivere ductu.
64 O pietas ! dabat ille prius qui jussa, regentum
65 subjacet imperio, nutus se fingit ad omnes
66 ceu puer, et plenis ultro tractabilis annis.
67 Vos, o Pierides, quondam dulcissima cura,
68 ne turbate sacrum et jam non violabile pectus.
69 Ille diu vestras meditando exercuit artes,
70 dum licuit, primos vobis sacravit amores,
71 nunc plenus meliore deo, meliora secutus ;
72 pertractanda aliis studia haec praeclara reliquit.
73 Quid spiratis adhuc Alemannum imponere vestro
74 sublimem solio ? Vestros demisit honores
75 ipse volens, summos apices, et grande sonantes
76 doctrinae titulos ventosaque nomina famae.
77 Jam Christo nomen dederat, se voverat aris ;
78 sub certis jam pacta fides et foedera verbis.

79 Eventu res laeta suo, ni orbata tot annos
 80 obvia venisset demisso Academia vultu :
 81 illa quidem spretis jampridem ingloria Musis,
 82 tristis, inops, deserta, suum implorabat alumnum
 83 multa recusantem, et studiorum munere functum.
 84 Scilicet excultas, quibus iverat ille superbum
 85 in nomen, Phoebi tandem ne poneret artes,
 86 quin potius priscos Musis renovaret honores,
 87 docta ministeria exercens ; verum irrita vota.
 88 Gratum adeo detractat onus, laudum ipse suarum
 89 impatiens, caelo affixum, supera alta tuentem
 90 necquicquam movet ambitio, neque gloria tangit.
 91 Jurati obsequii quae vis et quanta potestas !
 92 Quem non docta cohors, non ipsa Academia supplex,
 93 tot tituli insignes, non artes flectere possunt,
 94 ad primos nutus, prima ad mandata jubentis
 95 obsequitur : longum ingemuit tot honoribus auctus.
 96 Non tamen hunc virtus majori exposita theatro
 97 deseruit : quamquam Musae super omnia cordi,
 98 perpetuae comites, Pietas sub simplice cultu
 99 conspicienda magis, sola omnes luce premebat.
 100 Saepe illum juvenes, Phoebi in penetralibus ipsis
 101 donandi merita lauro stupuere loquentem.
 102 Illos consiliis, illos omni arte juvabat ;
 103 quin etiam allectos famae potioris amore :
 104 paulatim molli alloquio, fandi ille peritus
 105 fingebat dociles animos, et cerea corda,
 106 et sanctum imprimis Christi accendebat amorem.
 107 Ah ! quoties Musis per tempora certa relictis,
 108 divinum epotus toto cum numine flumen,
 109 caelestes populis sparsit sitientibus undas !
 110 Aonio pro monte juvat conscendere Olympum,
 111 proque choris Musarum, ipsum implorare Tonantem,
 112 aligerumque choros ; et jam pernicibus alis
 113 mens alta aethereos sublime perambulat orbis,
 114 percurritque domos superum, caeli aurea templa.
 115 Corporis indignos quam vellet rumpere nexus,
 116 et properantem animam et caeli convexa petentem
 117 eximere et patrio tandem se reddere caelo !
 118 Sortem ultra et vulgi contra communia vota,
 119 incusat longum exilium, et tardantia fata
 120 dulce querens. Celeres huc vos accedite Morbi,
 121 letiferae Febres, urentes viscera flammae,
 122 informis Macies, et creber anhelitus oris,
 123 huc properate omnes, vestris patet ictibus, omnes
 124 irruite, optatis irrumpite pectora telis.
 125 Protinus en jussae veniunt in funera Parcae.
 126 Jam moritur, gaudetque mori, caelumque salutans
 127 ardet inexpletum terrena relinquere membra,
 128 corporis exuvias tristes, et inutile pondus.
 129 Numine tum plenus cognata praeoccupat astra,
 130 impurae nil molis habet, fruiturque parata
 131 ante diem mercede, futuraque gaudia captat.
 132 Ipse suo incumbit tumulo, sua fata revolvit
 133 saepius, ante oculos creberrima mortis imago
 134 sese offert, instantis amat praeludia leti.

135 Hoc dum avidis oculis, avido videt ore propinquum
 136 erigitur, calamum petit, omnia funere in ipso
 137 quae stupuit, scriptis tot visa horrenda renarrat.
 138 Illius insidias, occultaque detegit arma,
 139 et casus juvenum properos, inopinaque fata,
 140 dum vacat, et nondum fluctu submersa, procellis
 141 quamvis acta ratis, valeat qua tangeteportus,
 142 hortatur, creberque docet, monstratque docendo
 143 difficiles scopulos, pelagoque latentia saxa ;
 144 sed cantu imprimis Sirenas, et ore placentes,
 145 incautis metuenda sua dulcedine monstra.
 146 Nec minus irati nos flectere numinis iram
 147 admonet, et lacrimis longis commissa piare.
 148 Quae vitanda procul, praesertim proque videnda,
 149 ne subitae eripiant caelestia praemia mortes.
 150 Ille etiam audaci supra mortalia nisu
 151 consilia aeterna, et summi decreta Tonantis
 152 rimatur, leges sanctas, divinaque jura,
 153 difficiles aperitque vias, sacrosque recessus,
 154 dux vitae melioris, et intimus aetheris hospes,
 155 aspiceres placido media inter funera vultu
 156 securum, totos dum saevit pestis in artus.
 157 Jamdudum extremos exspectat funeris ictus,
 158 lentae praeda necis : sic debita victima Christo.
 159 Talia scribentem, Mors indignata doceri,
 160 impatiens rapit, et praeclara intercipit orsa.
 161 Ille diu fessos exhausti corporis artus
 162 exutus, quo vota ferunt, quo se impetus effert,
 163 caelestem ingreditur factis comitantibus Aulam,
 164 fortunate animi, quem si mortalibus oris
 165 detinuit mors longa, tuis obnoxia votis,
 166 dudum exspectato te non fraudavit Olympo.
 167 Respice nos, animisque potens illabere nostris.
 168 Nonne vides quam nos moveat tua fama sodales ?
 169 Ecce tuis accensi omnes virtutibus, omnes
 170 certamus tibi promeritos impendere honores.
 171 Dant alii tibi sarta, alii dant thuris odores,
 172 illi dant lacrimas, docti dant carmina vates,
 173 quos inter gemina velatus tempora lauro,
 174 plectro grande sonans Petrerius, omnia quando
 175 olli nosse datum est gemini mysteria Pindi
 176 haud impar tua facta canit, tua maxima facta.
 177 Ast ego te sanctis permixtum heroibus, unum
 178 ante omnes dicam quamvis nil laudis egentem,
 179 exemplum, et nostrae decus admirabile gentis.

ILLUSTRISSIMI VIRI HIERONYMI BIGNON, COMITIS CONSISTORIANI
PIIS MANIBUS.

P_45 v.1 Et Deus ultor adhuc nostris irascitur ausis !
 2 Quae nostrae aetati jam jam aurea saecula redibant !
 3 Occidit heu ! lapsis spes constantissima rebus
 4 Bignonides, flet maesta Themis, flet Curia Patrem,
 5 flent populi, et tutis fundatae legibus urbes,
 6 ingentem tanti est legum periisse patronum !

7 Illius ad nomen caelo descenderat alto,
 8 in terrasque redux sese mortalibus aegris
 9 hospes praebebat fulgens Astraea videndam.
 10 Huic comites pia Relligio nec amplius exsul
 11 incorrupta fides, paulatim assuescere recto,
 12 pulsa fraude procul melior poposcerat aetas :
 13 scilicet erepti quondam memor illa parentis
 14 sperabat totum in nato cognoscere pectus,
 15 nec spes lusa fuit, terras non inde reliquit,
 16 nec tentavit abire, suoque recedere caelo.
 17 In nato mens tota patris, sibi multa timentis
 18 Astraeae retinebat adhuc, hoc pignora tuta.
 19 Jacturam ingentem fatis pensantibus aequat
 20 Bignonii vel adhuc invito funere manes
 21 afflabunt natis dignum virtutis amorem.
 22 Ibunt in melius res semper, et optima quaeque :
 23 ut prius hic fuerat nostro florentior aevo,
 24 haec rediviva piam in sobolem probitasque, fidesque,
 25 candor, simplicitas, et fallere nescia virtus
 26 Bignonidum sanguis tuta haec pro dote tenebit.
 27 Vidisti, o Lodoix, plaudens et Gallia testis
 28 quatuor ut lapso veluti de sole resurgant
 29 lumina ? Sacratosque rogos fecundet adusti
 30 Phoenicis cineres, regni nascuntur ad alta
 31 munera, germanos sursum feret ardua virtus.
 32 Quantus honos, pia Relligio, Bellona triumphans,
 33 et tibi sacra Themis clara de stirpe redibit !
 34 Auguror, hi fratres toti spectacula mundo,
 35 paternos manes virtutis odore piabunt.
 36 Jam video natos in Regni commoda fratres ;
 37 tantorum ingentem sortem accelerate virorum,
 38 tempora tarda nimis, vos publica vota reposcunt.
 39 Bignonidum generi, prompti debentur honores.

IN MORBUM NOBILIS D. SUSANNAE PHELIPPEAUX
 DE PONTCHARTRAIN HIERON. BIGNONII UXORIS.

P_46 v.1 Parcite vos, Morbi, vos dirae abscedite Febres,
 2 illa est, quam dudum lento depascitis igni,
 3 Nympharum decus, et Bignoni maxima conjux.
 4 Quae laus vestra foret, talis si victima leto
 5 ante diem caderet ? Facti quae gloria vestri,
 6 si tenera, imbellis, per vos superata jaceret ?
 7 Cederet oris honos, simul omnis gloria formae.
 8 Quo pietas vultu, quo sese ostenderet ore
 9 candida simplicitas, quo blanda modestia cultu ?
 10 Virgineus qua fronte pudor, dulcisque venustas
 11 aspectu, et specie non dedignata videri
 12 humana virtus, postquam sese abdidit astris ?
 13 Tot miseri, et segnes, sine honore, et inutilis aevi,
 14 quid meruere senes ? Longo qui tempore vitae
 15 exacto, Libitinam urgent ; damnantque morantem
 16 et pigros obitus, nimium et parcentia fata.
 17 "Hic odia, hic vestros, vos morbi, explete furores."
 18 Illam nobilium jam turba ingloria matrum,

19 illam et Sequanides deserto in litore Nymphae,
 20 ornatu capitis posito, peplo ora tegentes,
 21 vestibus in pullis, tunsae omnes pectora palmis,
 22 immitti ereptam fato, et crudelibus umbris,
 23 lugerent, duri solacia vana doloris.
 24 "Tristia ne nostros laedant spectacula sensus."
 25 Non clades posthac subitas, inopinaque fata,
 26 humanasque vices, miserae ludibria sortis,
 27 tot juvenum duros obitus lugere liceret.
 28 Tum siccis oculis tua funera, casta Lycoris,
 29 vidissem ; feretro impositam, mediamque per urbem,
 30 funereas inter taedas, piceosque vapores
 31 elatam te composito tranquillior ore
 32 jam vanus spectator, et hanc longo ordine pompam
 33 metirer ducendo oculis. Nam prae omnibus una
 34 "Illa illa hausisset totum hunc extincta dolorem."
 35 Et tua sat dignis quisnam o ! Dulcissima matrum,
 36 luctibus aequasset nimium properantia fata ?
 37 Ille dolor natis, caro dolor ille marito,
 38 et mihi servatus : nostros confundere fletus,
 39 non ego funerei coetus pars ultima, amassem.
 40 Quin etiam ipse meo, voluissent fata, cruore
 41 placassem, fuso placantur sanguine manes.
 42 Nunc gemeret tua nata, oculis tibi carior ipsis,
 43 non tua tunc Susanna, domus in parte silenti,
 44 virgineos laniata sinus, et scissa capillos,
 45 sola, amens, deserta, toroque innixa sederet,
 46 immemor ipsa sui, cultusque oblita priores,
 47 pectore conceptos non jam curaret amores.
 48 Nulla domus, nec polliciti jam cura mariti
 49 amplius : ante oculos pavidae nova spectra puellae,
 50 nuntiaque amissae matris simulacra volarent.
 51 Ne nitidos turbate oculos, neu virginis ora,
 52 "Parcite vos Morbi, vos dirae ignoscite Febres."
 53 Non ego te sic, nate, querar (fata aspera matrem
 54 eriperent) tibi vivit adhuc, quo se tua tollat
 55 Gloria in immensum, clarus pater : ille disertum
 56 exemplum dum ponet avi, sua facta silebit,
 57 facta, quibus rapuit Populique, et Regis amores,
 58 orator, dum Regem inter, Populumque, Patresque
 59 se medium dedit : hunc factis imitare parentem
 60 o juvenis, laudes imitando aequabis avitas.
 61 "Quamquam o ! Crudeles quamprimum ignoscite Morbi."
 62 Conjuge pro rapta Bignonius iret ad imos
 63 increpitans manes, reducique potentior Orpheo,
 64 eloquio fretus, superas revocaret ad auras
 65 damnatam aeternae nocti et crudelibus umbris.
 66 Si leges Erebi, aut fati vis dura resistat,
 67 Elysias coleret valles, et amoena vireta,
 68 et simul errantes inter Bignonius umbras,
 69 confuge cum tenera priscos iteraret amores.
 70 Tu quoque, Pelteri, versas qui mente profunda
 71 consilia alta, gravesque in publica commoda curas,
 72 ante alios longe maestissimus inter acerbos
 73 tot luctus circumstantum, et letalia pompae,
 74 quam debes populis vastam hanc subducere mentem

75 inciperes, sortem duram miseratus amicae.
 76 Pallanta Aeneas, et amicum flevit Achilles.
 77 Ipse ego tam dira stupefactus imagine rerum,
 78 fronte asper, crine incomptus barbaque togaque,
 79 demissoque supercilio, et subpallidus ora,
 80 ipse meum alloquerer fracta inter verba dolorem.
 81 Ne casu in tanto versus sperate poetae :
 82 quippe meos frangam calamos, mea plectra, tubamque
 83 indignans, aliis haec ornamenta poetis.
 84 Audior. Ad nostros fugere exterrita cantus
 85 agmina Morborum. Bignonia reddita terris.
 86 Redde tubam, da plectra, tubamque et plectra resume.

GABRIELIS COSSARTII, SOCIETATIS JESU, TUMULUS.

P_47 v.1 Vos, placidi manes, vos, umbrae animaeque silentum,
 2 parcite, carminibus si vestra silentia turbem.
 3 Ille meus studiorum, idem morumque magister
 4 occubuit Cossartus ; et alta in nocte reliquit
 5 maerentes Musas, doctas et Apollinis artes.
 6 Sint alii tristem tumulum qui floribus ornent,
 7 pallentes violas, et purpureos hyacinthos,
 8 et pro more ferant accensi turis honores.
 9 Vulgaris pompa haec fuerit vulgaribus umbris ;
 10 longe alios, Cossarte, tibi meditamus honores.
 11 Primus, ego ante alios longe maestissimus omnes,
 12 olli qua tumulum tristes posuere Camenae,
 13 pulvere conspersus caput, et subpallidus ora,
 14 lamentis implebo locum : dextraque tremente
 15 fumantem attollens taedam, turbatus, et amens
 16 Cossarti sacra vix dum tellure repostos
 17 lustrabo cineres : mox terque quaterque vocabo
 18 illius ingentem querulis clamoribus umbram.
 19 Hic aderunt mecum, jam ingloria turba poetae :
 20 omnes funereis evincti tempora vittis,
 21 in tumulum immotis defixi obtutibus omnes,
 22 confusos inter gemitus lugubre sonantes
 23 impellent citharas : et amabunt ducere voces,
 24 quales nupta solet cari post fata mariti.
 25 Luctus ubique et ubique dolor. Mors nescia flecti
 26 secum umbras, noctemque trahet, dirasque Sorores.
 27 Si flecti eloquio potuisset, care magister,
 28 nunc oculosque tuos, tua nunc simul ora tueri,
 29 et dantem praecepta iterum te audire liceret.
 30 Illum Musae omnes, illum sibi poscet Apollo
 31 nequicquam : vobis silet, aeternumque silebit.
 32 Sed quid ego haec autem ! Cossartum aeterna loquentur
 33 quae scripsit seris monstranda volumina saeculis.
 34 Illius immensas non uno carmine laudes
 35 alterni repetent cantu, quibus ore profundo
 36 mens viget et magnos agitatur sub pectore sensus,
 37 magni oratores : Cossarti dicta retexent,
 38 attollent fata egregia : ut prostraverit hostes
 39 fulminibus verborum, omni dum ex parte vagantur
 40 Tartareae pestes rupto ex Acheronte profectae,

41 quae nova in antiquos spargebant dogmata ritus.
42 Ostendent alii pro relligione tuenda,
43 saeclorum tot opes, congesta volumina Patrum,
44 depositamque fidem, decreta antiqua Priorum :
45 quos densae eripuit nocti et crudelibus umbris
46 Cossartus, dubiis infundens lumina rebus.
47 Tum quae conciliis manifesto numine pleni
48 dictavere Patres, manibus pia scripta tenebunt
49 et Pietas, et prisca Fides, et cana Vetustas.
50 His radiis induta, nova sub luce micabit
51 relligio, puro populos et lumine pascet.
52 Sub pedibus domiti Errores, Fraudesque relectae,
53 et male tuta frement positis Mendacia larvis.
54 Hic peplo velatae Artes manifesta doloris
55 signa dabunt. Toto Facundia pallida vultu,
56 scissa comas, et tunsas sinus muta ora tenebit ;
57 et, quibus illa placet, non amplius illa placebit
58 illecebris : dicta egregia, artificesque Figurae,
59 fandi mille Artes, vana ornamenta jacebunt.
60 Juxta, pallidior numeros oblita Poesis
61 grande supercilium et praeclara insignia frontis
62 ponet, et incipiet Latios dediscere fastus.
63 Tum citharas et plectra, tubas calamosque refringet ;
64 tristes exuvias, et inania munera vatum
65 illius imponet memori figetque sepulchro.
66 At dum quisque suo studet indulgere dolori,
67 non adero pompae vanus spectator. Adeste,
68 Artifices magnorum operum, celebresque Magistri :
69 ipse implebo meas tanto pro funere partes.
70 Excelsam, ingentem, pario de marmore ponam
71 pyramidem, magno incumbat quae multa sepulcro,
72 illa quidem invidiam contra annorumque ruinam,
73 sculpta laboratis feret argumenta metallis.
74 Hic, Cossarte, tuum facili excudatur in auro,
75 quo septem gemini sonuerunt undique colles,
76 sacrum, augustum, ingens, et non imitabile carmen.
77 Cernere erit triplices, diademata sacra, Tiaras,
78 stemmataque et pictos grandi sub imagine vultus :
79 ipsum et "Vechiaden" : fossus qui pectora ferro,
80 barbaricis tua, Christe, sonat dum nomina terris,
81 purpurea meruit caput insignire corona.
82 Addam, cum Latii quondam foret arbiter oris,
83 judice sub tanto non ipsis credere Musis,
84 non ipsi vates voluissent credere Phoebos.
85 Addam tot noctes, vigilataque scripta tot annos ;
86 tot praeclara reperta, exantlatosque labores
87 si quando altarum tractaret pondera rerum,
88 ostendam, ut rivis doctrina undaret apertis.
89 Hic scuto rapidum flumen caelabitur aureo,
90 captivos fluctus ripis evolvere iniquis
91 impatiens : victor tandem et sibi redditus amnis,
92 exsultans campo jam liberiore vagati,
93 divitias undarum in nota evolvit arena.
94 Illic sub variis proponat multa figuris
95 artificum manus, et stellas in nocte micantes,
96 et longe positos summis in turribus ignes,

97 qui faciles portus vicinaque litora monstrent.
 98 Parte alia in teneros se flores plurimus imber
 99 desuper effundat : redivivi hoc munere flores
 100 attollant capita, et caelo laetentur amico.
 101 Fas erit hic veros multa sub imagine sensus
 102 perlegere, et magnas Cossarti agnoscere dotes,
 103 ut quondam caeli magno inflammatus amore ;
 104 arderet juvenum teneros componere mores.
 105 Hunc quoties, tenui nondum ausus fidere Musae,
 106 famae avidus juvenis clam consulturus adibam :
 107 ille quidem nostros tollebat ad aethera versus ;
 108 et me digna loqui, me cedro scribere digna,
 109 atque inhians pendere meo fingebat ab ore.
 110 Protinus illectam per tot praeconia mentem
 111 flectebat, me multa docens, magnique Tonantis
 112 consilia abstrusa et totum reserebat Olympum :
 113 quaerere me frustra clarum per carmina nomen,
 114 longe alios animi exsuperans signabat honores,
 115 sed vasto Oceano longum maris aequor arandum.
 116 Tum brevia et syrtes et navifragas Sirenas
 117 monstrabat, facilemque viam, cursumque docebat ;
 118 omnia quae puro describam carmine vates.
 119 Nec, Cossarte, tuos obitus, supremaque fata
 120 praeteream. Duro in saxo testabor amorem
 121 ipse meum. Vidistis enim, et memorare potestis,
 122 quicumque incolitis Clarii juga sacra poetae.
 123 Me miserum ! His oculis vidi hanc procedere pompam,
 124 ordine flammaram longo, vidi ipse Magistri
 125 exsequias tristes et lamentabile funus.
 126 Ibant pullati, dejectique ora sodales,
 127 et longum per iter carmen ferale canebant.
 128 Cossarti procul aspiciamus miserabile corpus
 129 impositum tristi feretro, quem torrida febris
 130 abstulerat crudae sub tempora prima senectae.
 131 Ut vidi presses oculos, pallentiaque ora,
 132 quos ah ! Tum gemitus, quae tum lamenta, per auras !
 133 Hos gemitus audistis, et haec lamenta, Camenae.
 134 Extremum adjiciam, quantos mea Gallia luctus
 135 fuderit, ut tristes ulularint undique Musae.
 136 Maestior una, tamen juveni quae praefuit olim
 137 Melpomene, hos versus dilecto inscribet alumno :
 138 "Exilio e longo quas ille reduxerat artes,
 139 has moriens traxit secum, conditque sepulcro."

IN PRAEMATURUM POMPONII HARLAEII OBITUM NAENIA.

P_48 v.1 Siccine dira lues, pueris fatale venenum,
 2 et juvenes petis, et fatis properantibus urges ?
 3 Credideram nostros dum Juppiter invidet annos,
 4 mille modis semel acceptam repetentibus astris,
 5 et pro jure suo quamprimum abrumpere vitam,
 6 illum et posse graves terris immittere morbos ;
 7 haud sine lege tamen morbis fas esse per omnes
 8 grassari aetates, atque omnia vertere leto.
 9 Non uno morimur, fato neque vivimus uno :

10 ergo quid immeritum tam crudo funere Parcae
 11 eripitis juvenem, qui pubescentibus annis
 12 virtutis calcabat iter ; magnoque suorum
 13 nomine succensus, pulchro et pietatis amore
 14 iba quo virtus, quo gloria, et aemula laudum
 15 ambitio, juvenem quo maxima fata vocabant ?
 16 Nam secum meditans praeclarae insignia gentis,
 17 tot Belleureadas, Franci capita alta Senatus,
 18 Harlaeosque duces bello, nunc pace togatos,
 19 qua poterat patrios jam tum affectabat honores.
 20 Et memini, nuper toto admirante Senatu
 21 Sorbonicos inter patres responsa ferebat,
 22 sacrorum reserans abstrusa oracula vatium.
 23 Hic aderam haud vanus spectator, et omnia verba
 24 plaudentum, et laetos fremitus prona aure bibebam ;
 25 explorabam animos, famaue fruebar amici,
 26 et dotes animi egregias, sensusque profundos,
 27 flumina verborum, majestatemque loquentis
 28 mirabar, supra aetatem viresque juventae.
 29 Quis mihi tum sensus ! Quo animo ? Qua mente ferebar ?
 30 Attonitus gravitate rei, mecum ipse volutans
 31 quis quondam foret ille ! Omnis quem Curia Patrum,
 32 quem Lamoniades, quem Belleuraeus, et ipsi
 33 Pontifices merito insignem super astra ferebant.
 34 Dicebam tacitus : quos non implebit honores !
 35 Quos non et titulos ! Quanto se nomine tollet
 36 hic juvenis ! Video, si quid recte auguror, omnes
 37 aequantem titulos, et grandia facta parentum,
 38 illius et capiti gemmisque auroque micantes,
 39 et pendere graves ingenti pondere mitras,
 40 quem Rex, quem populus, studiisque aequalibus aula,
 41 quem Sorbona etiam, fors poscet et aemula Roma.
 42 Hunc juvenem eripitis, crudelia Numina, Parcae.

IN FUNERE HIERONIMI PELETERII
 REGI A SECRETIORIBUS CONSILIIIS ET COMITIS CONSISTORIANI
 SANTOLII VICTORINI LACRYMAE.

P_49 v.1 Quid me, Musa, jubes verbis aperire dolorem ?
 2 Pelteri, et cineres placida tellure repostos
 3 flebilibus turbare modis, tristesque sub auras
 4 et gemitu, et lachrimis manes revocare beatos ?
 5 Ah ! potius rumpat pectus dolor ; aut ego saltem
 6 ibo ibo, tumulo incumbens frigentis amici
 7 urgebo mea fata, et totus jungar amico.
 8 Me fortunatum ! Si tanta in clade litarem
 9 hac anima, qua vivo miser, moriorque superstes.
 10 Quid moror in terris alter ? Quid protraheo vitam,
 11 vitam infelicem ? Jacet, aeternumque jacebit.
 12 Quo pietas, quo relligio, probitasque, fidesque,
 13 quo stetit alma Themis, tali secura patrono.
 14 Non semel illum omnis, (sic Regia jussa ferebant),
 15 ultorem scelerum tremefacta Arvernia sensit ;
 16 fraudibus et notas furtis quaesitor in urbes,
 17 legum terribili confidentissimus ibat

18 nem pe satellitio cinctus ; grassantia monstra,
 19 praedones populorum hinc inde impune furentes
 20 vindicibus poenis, justaque coercuit ira.
 21 Sed quid ego excurro ! Quo Maecenate serena
 22 cuncta mihi, et caeli jam tangere summa videbar,
 23 immiti fato eripitur, solusque relinquer
 24 infelix, gemebundus, iners, mea gaudia secum
 25 abstulit ille, meus cui se subdebat Apollo,
 26 jam non indocilis, promptusque audire monentem.
 27 Saepius hunc, memini, clam consulturus adibam,
 28 forte novae nimio prolis deceptus amore ;
 29 utque inimicum animum vellet, frontemque severam
 30 induere, et mendis non parcere, multa rogabam.
 31 Me placido vultu bonus excipiebat amicum,
 32 et licet obruerent immensa negotia pectus,
 33 interdum facilis praebere cantibus aures,
 34 namque fatigatam mulcebant carmina mentem.
 35 Non adeo informes, quamvis ex tempore natos,
 36 afflatos veluti manifesto Numine versus
 37 miranti similis, laudum non parcus ad astra
 38 tollebat, medicam ut consultior arte magistra
 39 ferret opem. Talem, o Superi, talem invida fata,
 40 unde venit nostrae pretiumque et fama Camenae,
 41 praecipiti leto, regnoque, mihique tulistis.
 42 Et posthac, mea Musa, jubes depromere carmen ?
 43 An mihi dictares quod responderet amori ?
 44 Non dolet is comptos tentat qui scribere versus
 45 ad numerum, et doctam qui iudex consulit aurem.
 46 Non eget arte dolor, plus proditur ille silendo.
 47 Una mihi gemere, et deinceps sit flere voluptas.
 48 Nil medicum poterit, quod fert solacia, tempus,
 49 nil poterit ratio : vos o discedite, amici,
 50 meque meis flentem, vos oro, relinquite fatis.
 51 Tristia supplebunt teneros suspiria cantus.
 52 Tu quoque, Forneri, fidus comes, alter Achates,
 53 illi carus eras. Tibi carus et ille vicissim,
 54 nostris junge tuos, et ama confundere luctus.
 55 Quam frustra offertis tanto pro funere chartam !
 56 Vix scribet stupefacta manus, lacrimaeque cadentes
 57 expungent male natum, et lamentabile carmen.
 58 Discessit mea lux, meque atra in nocte reliquit.
 59 Annuerim ; pereant mea scripta, nec amplius illud
 60 Santolidae nomen seros memoretur in annos ;
 61 et vivat meus ille dolor, noctesque diesque
 62 excruciet miserum, mutata sorte, poetam ;
 63 me fortunatum si tanta in clade litarem
 64 hac anima, qua vivo miser, moriorque superstes.
 65 Non ego solus, erunt testes comitesque Camenae,
 66 Virtutum chorus omnis, et inconcussa tot annos,
 67 jam minor, in partem veniet Themis orba querelae,
 68 et Pietas, et Relligio, Probitasque Fidesque ;
 69 nec gemini Fratres, maesti pars maxima coetus.
 70 Hinc aberunt ; defixi omnes obtutibus, omnes
 71 crine incomposito, pullaque in veste supremos,
 72 qua poterunt, solvent pompae feralis honores,
 73 et caros cineres mecum largo imbri rigabunt.

74 Mox citharas, calamos, et inania, perditus, amens
75 ad tumulum frangam mea plectra, fruarque dolore.

HIERONYMI PELETERII

REGI A SECRETIORIBUS CONSILIIIS ET COMITIS CONSISTORIANI PIIS MANIBUS.

P_50 v.1 Pelteri cineres aeterno aspergite fletu
2 sancta Themis, pia Relligio, Probitasque, Fidesque ;
3 Ille tenax Recti, scelerumque acerrimus ultor,
4 et Custos legum vestros augebat honores,
5 sorte sua major, geminis nec fratribus impar,
6 rem patriae tractans inopino funere raptus
7 exigua jacet hic ingens Pelterius urna.

EXCUSAT SE POETA AB EPITAPHIO INSCRIBENDO VAVASSORI.

P_51 v.1 Quid me multa rogas, extincti in funus amici
2 pro tumulo ornando lugubres scribere versus ?
3 Scilicet id curant Manes, et postulat ille
4 qui, dum vita fuit, solitus ridere poetas,
5 famae avidos fumo quos gloria pascit inani ;
6 haec volventem animo, et cui me parere deceret,
7 huc illuc volitans, tumuloque excita profundo,
8 ecce Vavassoris me durius increpat umbra,
9 ponere continuo calamum jubet : "O mea, dixit,
10 funera post, sine pace frui, et me morte beatum
11 nunc sine inornato tandem requiescere saxo.
12 Nonne satis, quando me consulturus adibas,
13 (et memini, et me mordet adhuc ea cura sepultum)
14 nostram incompositis violasti cantibus aurem ?
15 Si nescis, placida quamvis tellure reposti,
16 nos etiam vates turbamur ? Abi, improbe vatum,
17 et fatis me linque meis, nec denique tentes
18 ingrato cineri miserum superaddere carmen
19 vulgares decet haec vulgaris pompa poetas."
20 Nec plura : ex oculis sese subduxit, et imo
21 ocus effugiens immugiit umbra sepulchro.
22 Scribere me posthac ecquis persuadeat auctor ?

AD VERRINUM DOCTOREM SORBONICUM. SORBONA INCENSA.

P_52 v.1 Quod Sorbona scelus potuit committere tantum,
2 sentiat ut tales flammis ultricibus iras ?
3 Vidimus hos nuper, quibus arsit, vidimus ignes,
4 et dolor est vidisse, sacri Domus hospita Veri,
5 quam neque civiles potuerunt vertere motus,
6 bellorumque faces, nec conjurata revellant
7 saecla, improvisos Domus haec considit in ignes.
8 Ergo tot veterum congesta volumina Patrum
9 ardebunt impune ? Tot et monumenta laborum,
10 et doctas noctes, vigilataque scripta tot annos,
11 auferet una dies ? Vos o succurrite, Divi ;
12 effusosque super ruptis de nubibus imbres

13 mittite, et audaces nunc nunc compescite flammās.
14 Hic res vestra agitur, si vos Sorbona tuetur,
15 si vestras aras, vestros si servat honores,
16 vos tanti obsequii memores servate cadentem.
17 Sacra, augusta domus, tot ubi responsa Tonantis
18 accipiunt dubiae mentes, ubi docta Vetustas,
19 et Pietas, et Relligio, Virtusque, Fidesque,
20 nubibus excussis nudum dant cernere Verum ;
21 et tamen illa Domus rapidis data praeda favillis.
22 Nec tu, Richeli, celsa de nube coruscans,
23 solus bellorum potuisti extinguere flammās,
24 ipse tuas dextro defendis Numine sedes ?
25 Quid tam lentus abes ? Non haec postrema fuisset
26 gloria, Regificis quas olim sumptibus Aedes
27 fundasti, simili cura studioque tueri.
28 Vana queror : ferro nec vincitur improbus undis,
29 insolitum furit ignis, et insuperabilis aestus.
30 Vidi ego, dum late glomerata incendia regnant,
31 Sorbonicos vidi superato culmine Patres,
32 accinctos operi, fontes immittere largos.
33 Ne sanas rapiant flammae contagia partes ;
34 vidi Grandinum properantem urnasque ferentem
35 haud aequis humeris, conitentemque Morellum.
36 Tu quoque Sorbonici non ultima gloria coetus,
37 Coqueline, aderas ; quae mens tibi ! Quis tibi sensus !
38 Dum magna in tenues ibat Sorbona favillas,
39 tu, strepitus inter, confusae et murmura turbae,
40 non vanus spectator, at inter talia primus.
41 Hortari socios, paribusque accingier armis.
42 Et memini quantos pro Relligione labores
43 pertuleris. Nova scripta effuderat impius auctor
44 in certum regni exitium, tectusque cucullo
45 vilis adulator Romae, subvertere leges
46 tendebat patrias ; rupto ex Acheronte profectus
47 impius alter, Amadaei sub nomine pulchro
48 infandas veneres, et turpia facta docebat.
49 Tu Patriae, et Superum sacro succensus amore,
50 proscribis geminos Roma indignante libellos.
51 Hoc et Relligio, et tua gloria nempe petebat.
52 Quin et Parvipedem semiusto crine sequaces
53 urgentem flammās per mille pericula vidi :
54 sed frustra, jam ardet Porcherus et ardet Iarbas.
55 Et tua jam, Bollae, librorum exculpta supellex.
56 Quid faciant ? Superest miseris spes unica rebus.
57 Itur in augustum templum : melioribus acti
58 consiliis, sacra servatum Numen in arca
59 stant circum trabeati omnes, atque ordine longo,
60 effusi in fletus, et tunsii pectora palmis,
61 procedunt, Numenque omnes placabile adorant.
62 "Caelicolum Rector, tuane in discrimine tanto
63 everti delubra sines, quas struximus aras
64 urbe tibi in media, tibi quas sacravimus Aedes ?
65 Haec potius templis contingat flamma profanis.
66 Quod si nostra gravem debent tibi crimina poenam,
67 adsumus ; et quamcumque indixeris arbiter aequus,
68 et vigiles curas, et longae insomnia noctis,

69 pauperiemque, famemque tui nos sponte feremus :
 70 sed templo jam parce tuo, et nil tale merenti."
 71 Vix ea, cum lustrare sacram tanto hospite sedem,
 72 praesentemque Deum iratis opponere flammis ;
 73 sensit flamma Deum, penitusque exstincta resedit.

SAN-VICTORINAE GRATES MUSARUM LACHRYMIS
 EXPRESSAE IN FUNERE ILLUSTRISSIMI VIRI HENRICI BUCHETII
 DOMINI DE BOURNONVILLE.

P_53 v.1 Unde triumphales ceciderunt vertice lauri ?
 2 Unde, et funerea cinxerunt maesta coronae
 3 tempora ? Dirum aliquid Phoebi mutavit honores.
 4 Injussae ecce fluunt lacrimae ; vox mixta per auras
 5 vertitur in gemitus, magni praenuntia casus.
 6 Ecce sub incerto titubant vestigia gressu
 7 perfida ; et officium renuunt sine viribus artus.
 8 Dicite, Pierides, et vos quoque dicite, Nymphae :
 9 quis dolor has movit lacrimas ? Quae causa malorum
 10 tantorum ? Vatisne fuit ? Tristisne Camenae ?
 11 An terrae ? An caeli genius ? Saevique nocentis
 12 sideris influxus ! Diro num crine cometes
 13 grande aliquid (nec vana fides) portendit acerbis
 14 prospera commiscens fati, inopinataque bella :
 15 bella sed, heu, nimium nostris praecognita damnis.
 16 Hosne cient luctus praesagia tristia mentis,
 17 et dubii rerum eventus : mihi plura putanti,
 18 obvisus en sese Musarum Praeses Apollo
 19 obtulit, et verbis meditantem affatur amicis,
 20 multa gemens, luctusque suos blando ore serenans.
 21 Sed tamen arcani sibi mens tum conscia casus
 22 quaerebat junctis solacia dulcia curis.
 23 Invitum dolor in vultum prodibat, et ipsa
 24 ora fatebantur doctos sine voce dolores,
 25 contractaque oculos siccabat veste fluentes
 26 in lacrimas, furtiva dabant suspiria voces,
 27 quas bene non notas mens noverat aegra malorum
 28 interpres, tacitisque sibi nimis obvia poenis.
 29 "Utinam, heu, dixit, fati communibus ambo,
 30 utinam, et nostris eadem sors invida rebus
 31 sollicitat te, meque simul ; quin aspice luctus
 32 tristitiae fidos comites : jungantur amicae
 33 cum lacrimis lacrimae, jungantur et oribus ora,
 34 casibus et casus, necnon fata aspera fati.
 35 Sic juncti invenient solamina blanda dolores.
 36 Nec mihi nec tibi pars incumbit tota dolendi,
 37 en fera concordem veniunt in funera Musae."
 38 Dixit, et ante oculos subito chorus adstitit omnis
 39 Pieridum, celebresque viri, doctique poetae,
 40 et longo stabant circumfusae ordine Nymphae,
 41 et quos Suada sinu fovit, quos Pallas alumnos,
 42 quae fraudes caecas aperit, non inscia fraudis
 43 sed vafri instructa dolis, quosve alta clientes
 44 inventas duxit Sapiens mille per artes,
 45 ipsi aderant, et vos quoque quorum marmora cingunt

46 labentes hederæ, nostris facta agmina curis.
47 Auditi hinc gemitus, hinc vota, precesque sororum,
48 et singultanti repetitæ pectore voces :
49 "Cessit Apollineæ, cessit decus omne corona."
50 Haec ubi, tum flevere omnes, juvat ergo querelis
51 indulgere novis, et acerbos plangere casus ;
52 quaecumque est Phoebi virgo, fecunda dolorum
53 fit mater, fruiturque suis singultibus ; imbres
54 quos oculis genuit, gremio recipitque fovetque,
55 in poenas propensa suas (quas pectore voces
56 ira dolorque dabit ?) casu percussus iniquo
57 tristior ipse aliis Phoebus, sic ora resolvit
58 expectata diu : "Cecidit Buchetius alto
59 Musarum e solio, cecidit ; lugete Camenæ,
60 sat dignis nusquam lacrimis revocabile fatum.
61 Vix ea, cum nimius voces dolor interrupit."
62 Tum gemitus inter vocum reparabilis echo
63 exit, et exstinctas iterat pia turba querelas,
64 ingeminans voces : "Cecidit Buchetius alto
65 Parnassi e solio, cecidit, proh dedecus ingens !
66 Sic Musis præreptus honos, sic gloria abivit
67 Pieridum, heu magnis nimium sors æmula rebus.
68 Si cecidit columen, quidni post fata ruamus ?
69 En nobis moritur decus immortale dearum :
70 splendida lux jam luce caret, vox ipsa sileret,
71 aspera et in nostros loquerentur funera casus.
72 Jam non parce oculis, vates, non parce querelis.
73 Quis putet ? Occubuit Buchetius ipse sacerdos
74 Musarum, Phoebique comes, legum ipse minister
75 heu periit ! Patriæque pater, columenque labantis
76 imperii, et sacrae Themidis defensor alumnus.
77 Qui populis sua jura dedit, qui mente sagaci
78 fraudibus implicitas leges, multisque tenebris
79 eruit abstrusas, sapiens legum arbiter, idem
80 interpresque simul : si lex obscura fuisset,
81 mentis ad oppositam fugiebant nubila lucem.
82 Et radiis vestita suis lex caeca micabat.
83 Non secus ac nocte in media cum se obvia tellus
84 Solem inter, Lunamque suis interjicit umbris,
85 extemplo videas lucem evanescere lunæ,
86 obscurumque globum ; radius si se exserat undis,
87 protinus excussa redeunt spectacula nocte,
88 splendidiorque suos reparat Latonia honores.
89 Ipse sibi iudex, Themidis non consulit aras,
90 quin Themis ipsa suum supplex implorat alumnus.
91 Sic Themidi, et sociis damnum commune Camenis
92 præmatura piæ lugent nunc funera Musæ,
93 lugeat ergo Themis dilecto orbata ministro ;
94 communes poscunt communia fata querelas.
95 Haec inter quosnam gemitus (novistis amici)
96 et quas profundi lacrimas ; vos conscia testor
97 agmina Pieridum, vosmet compello dolores,
98 nunc quibus exagitor ; pectus quibus uritur ignes
99 vix lacrimæ extinguunt, totus convertor in imbres
100 Quos dolor essundit, totus convertor in ignes
101 quos amor accendit, fati sic proximus uror ;

102 at pia vicinam remorantur flumina sortem,
 103 aut ni flamma vetet, lacrimosum in flumen abirem,
 104 flumen perpetuis lacrimarum labile rivis.
 105 Tum mihi perfuso lacrimis, sese dedit alto
 106 conspicuum Phoebus solio, quod multa cupressus
 107 ambibat lambens feralibus undique ramis ;
 108 ardebant circum piceis funalia flammis,
 109 dispositaeque atram nebulam per longa lucernae
 110 atria mittebant ; totam fatale per aulam
 111 tenditur, injucunda ferens saepe omnia, peplum.
 112 Omnia sub nigro spatia occultantur amictu
 113 funereae in morem pompae ; vox omnibus una,
 114 et cunctis unus dolor ; auditurque per auras
 115 murmur triste sonans, lacrimis communibus aer
 116 sudat, et aequales gaudet conjungere luctus.
 117 Prodebat vix e solio, primosque subibat
 118 aspectus, siluere omnes, fragor excidit omnis,
 119 atque susurrantum murmur, gemitusque loquaces
 120 intro cum gemitu redeunt, et clamor hiantem
 121 incoeptus fraudat, voxque imis faucibus haeret.
 122 Ast ubi pacifico tenuere silentia jussu
 123 compositi, en primas paulatim guttur avarum
 124 emittit voces, et maesta ju verba moratur
 125 fortius insistens : "Lauros non ambio, dixit,
 126 victores nam laurus amat ; victosque cupressus."
 127 En pompae feralis opus, pars maxima sortis
 128 cujus erit Phoebus, parsque altera, funus amici.
 129 Plus lacrimis quam voce canam, Buchetius ipse,
 130 heu cujus fata aggredior, celebrabit honores
 131 funereos, tacitusque sibi sua fata loquetur.
 132 Principio evolvam primae incunabula vitae,
 133 et quibus officiis maturos duxerit annos ;
 134 tandem quae dederit post funus munera Musis :
 135 San - Victorinis gratissima munera Musis.
 136 Vix tenerum genitrix vitali carcere fetum
 137 miserat, ecce ruunt famulantes ordine Musae,
 138 virtutesque, chorique pii, magnaequae dearum
 139 sedibus erumpunt turbae ; vacuataque tecta
 140 tota relicta tibi ; hinc illinc sparguntur amores,
 141 ad cunasque volant pueri, pennisque flagellant.
 142 Tu quoque habes magnam victricibus obruta lauris
 143 gloria, partem opere in tanto ; tum quaeque recenti
 144 oscula libavit puero, pia pignora amoris.
 145 Interea junctis infantem amplexibus omnes
 146 subducunt parcente manu, furtoque superbae
 147 accelerant ad montis iter, sacrisque reponunt
 148 sedibus ; ambrosios en nutrix Musa liquores
 149 in morem infundit lactis, risuque benigno
 150 blanditur ludens, doctosque invitat ad haustus.
 151 Ast aliae, dulci corpus dum pascitur esca,
 152 incumbunt tenerae menti, tenebrisque remotis
 153 largius insinuant lucem, radicibus imis
 154 ingenii avellunt miseros sine semine fetus,
 155 virtutumque satus meliori in sede reponunt ;
 156 flexile tum corpus formatrix dextera fingit,
 157 in variasque artus teneros regit arte figuras ;

158 mole cor exiguum aptatur, frons ampla latentis
159 indicium cerebri, et magnae primordia mentis.
160 Exemplum moresque probant ; nam doctior usquam
161 nec major probitate puer ; puerilibus annis
162 discendi maturus inest amor : insita magni
163 semina iudicii, magna omnia, magna, nihilque
164 exiguum, nisi corpus erat ; sedet ore senilis
165 majestas pueri, et latae prudentia fronti,
166 luminibusque ignescit amor, candorque genarum
167 arguit occultum candorem mentis, et omni
168 arte caret, sed non pretio : non debita virtus
169 annorum numero, meritis nam vincitur aetas.
170 Non mirum, superet teneros provector annos,
171 quippe duces Musas habuit, totidemque magistras.
172 Musarum labor hac sola mercede placebat,
173 et curae vigiles hoc pensabantur alumno ;
174 quid me ergo, et musas nostris puer edite curis
175 deseris ? Et nostros contemnis transfuga coetus ?
176 Scilicet incoeptos solvit fortuna labores,
177 sic nostri memor est operis, Buchetius omnis ;
178 proh pudor ! Eripitur, docti et quoque glotia coetus.
179 Ite meae ex oculis lacrimae, post tanta supersunt
180 fata, pii gemitus, suspiria, vota, precesque,
181 jus lacrimis datur, et iusti seges ampla doloris.
182 Musarum caput, et nostrae spes altera famae
183 heu cecidit ; fato Musae cecidistis eodem.
184 Tu, Themis, orba oculis oculos concede dolori
185 quos negat officium, dabit indignatio fletus.
186 Nostis quot leges habeant in limine primo
187 difficiles aditus, fractaque ambage viarum
188 praecipites juvenum gressus, cursusque morentur.
189 Vincula quanta, quot insidias in luce latentes,
190 quot claudat vatiis eadem sententia sensus,
191 quin lex quae populis pacem, gerit obvia legi
192 bella, movetque sibi, et paribus deffenditur armis.
193 Flexilis in partes sese ipsam accommodat omnes :
194 aut damnare reum, aut dirae subducere morti,
195 in promptu hoc praestare, vias scit mille nocendi,
196 fallendique novas artes : non undique fraudes
197 tot labyrinthus habet, quot habet lex una meatus.
198 Aurea quod si oculis spes fulserit, ipse propinquo
199 damnandus laqueo reus, (hocque manebit inultum)
200 evadet, scelerisque expers, a crimine tutus ;
201 sed si nulla auri movet impellentis imago,
202 criminis objecti vix conscius alter, ab alta
203 arbore suspensus miseris dabit aere poenas.
204 (Heu nimium dirae spectacula tristia sortis)
205 si quorum commune scelus, communis utrique
206 debetur poena, hunc solvit mens nescia juris,
207 interpresque alium non aequae, perfida, morti
208 addicet, crimenque suum non ausa fateri,
209 carceribus finget socium erupisse nocentem.
210 Noverat has fraudes teneris Buchetius annis
211 iudicii gravitate senex ; vix limen apertum est,
212 vixque salutavit Themidem, velut agmine facto
213 procumbunt pedibus leges, patremque futurum

214 mollibus excipiunt verbis, veniamque precantur.
 215 Ast aliae quae se tenebris noctique recondunt
 216 his reddit lucem ; "Tenebraeque hoc sole fugantur."
 217 Sunt aliae quibus horror inest, quarumque flagellis
 218 dextera letiferis armata incumbit in ictus ;
 219 te viso simul ira cadit, rabida ora quiescunt,
 220 armaque deponunt pedibus, vultusque serenant
 221 in signum pacis : quarum implacabilis ira est,
 222 te praesente, ineunt socialia vincula amoris ;
 223 et sese tanto sub iudice quaeque tuetur.
 224 Sic legum lis nulla subest, mens omnibus una,
 225 solque oritur cunctis unus ; sic fulget ab uno
 226 stellarum numerosa cohors, sic sole superbit.
 227 Hic Themis, hic periit fato tibi raptus acerbo,
 228 proh dolor ! Ecce tui victricibus occidit umbris,
 229 nil mortalis habens, solis jubar : aethere ab alto
 230 lux cum sole cadit, multos sparsura timores :
 231 obscuri sine luce globi, stellaeque minores
 232 nativo splendore carent, soror aemula solis
 233 abscondit nullo fulgentes lumine vultus,
 234 decrescitque dies tenebris crescentibus omnis,
 235 majoresque cadunt exstinctis ignibus umbrae.
 236 Unde mali tanti labes ? Buchetius aequi
 237 sol cecidit. "Tenebrae hoc erepto sole redibunt."
 238 Unius ob casum multae cecidere Camenae,
 239 ast ego plus, poscunt majores funera luctus.
 240 Dum loquor, in nigram mutata est purpura noctem,
 241 et velum cadit ex oculis, ut larga doloris
 242 sit via, et ut Themidis lacrimae siccentur abortae.
 243 San - Victorinae solae gaudete sorores,
 244 non vobis totus moritur, post fata superstes
 245 vivit adhuc vestra, numquam moriturus, in aede.
 246 Est prope Parisios longo spectabilis aevo
 247 Victori sacrata domus, quae dissita quondam
 248 urbe procul fuit, adjunctis nunc proxima muris.
 249 Quot celebres dedit alma viros, tot jam illa coruscat
 250 luminibus decorata suis, haec fama nepotes
 251 et manet, aeternum illustrans per faecula nomen.
 252 Haec eadem Victrix Victricia tempora vincet
 253 Victorina domus, Victores fecit alumnos,
 254 Victricemque sibi contexit ipsa coronam,
 255 quam mater seris imponet provida natis :
 256 illa suos numerat fetus, magnumque Richardum,
 257 effusumque uno partu praedivite Adamum,
 258 insignes pietate viros, insignia quorum
 259 scripta asservantur nostris carissima Musis.
 260 At vandum gemino, licet unus sufficit orbi,
 261 Sole satis radiata micat ; da lumina caelo
 262 Phoebe, sat in terris lux Victorina refulget.
 263 Unde ruis Thoma in diram sanctissime mortem ?
 264 Unde tui sparso rubuere cruore capilli ?
 265 Ecce tibi multo saturantur murice vestes,
 266 purpureamque geris dextra imponente coronam :
 267 aspiciate, haec pia sunt fidei argumenta probatae.
 268 Doctior his surrexit Hugo, se jactet in illis
 269 gloria, plus uno sese jactabit Hugone,

270 hic divina aperit Scripturae oracula miris
 271 mille modis reserans, oculosque juvantibus aegros
 272 eruit ex umbris, datque inter nubila solem
 273 conspicuum, obscuris designans vera figuris.
 274 Illustres non sola viros Sorbona tulisti,
 275 quin Victorinam Sorbona agnosce patentem :
 276 huic tua debentur tenerae primordia vitae,
 277 haec tibi porrexit docto spumantia lacte
 278 ubera ; quam multos sunt nutritura nepotes !
 279 Quid moror ? En nostris supplex Buchetius aris
 280 numina sacra colit : "Doctissime, dixit, Apollo,
 281 sunt tibi germanae non longe a moenibus urbis,
 282 San - Victorino dixerunt nomine musas,
 283 quas colui, semperque colam ; da jungere foedus
 284 perpetuum, da magnanimos (si debita posco)
 285 inter adesse viros, votorum haec summa meorum est,
 286 huic numero adscribar ; neque enim vos desero Musas,
 287 Castaliosque lares, Musarum in regna vocatus,
 288 quas vobis conjunxit amor, conjunxit et unum
 289 officium, Phoebos celebres sub praeside Musae.
 290 Me quoties laeto vultu exceperere Sorores,
 291 atque fatigatos animos mulserere benigno
 292 affatu ? Quoties dubio mihi certa dedere
 293 consilia ? Adversis oracula prospera rebus.
 294 Quae tibi pro tantis persolvam munera curis
 295 Victorina domus ? Memori quas pectore grates ?
 296 Sunt mihi non procul hinc insignes arte Camenae,
 297 heu ! Magno pretio, multisque laboribus emptae,
 298 ut fidas lateri comites ego semper haberem,
 299 affixasque domi ; merito cernuntur in aula
 300 ordine quaeque ; tuos concessum munus in usus.
 301 Has aliquando tibi stabiles propriasque dicabo.
 302 San-Victorinis sibi dudum foedera Muisis,
 303 et doctos poscunt (non parva haec gloria) coetus.
 304 Vos Victorini heroes, si quid mea possunt
 305 vota (etenim illa diu tacitus mecum ante peregi)
 306 quotquot erunt, precor, in vestras admittite sedes,
 307 meque simul non immemorem, majora daturus,
 308 majores in luce moras si fata dedissent,
 309 aspiciate, an proprios labor hic conversus in usus ?
 310 Non mihi sed vobis labor hic fuit. Omnia vivus
 311 sponte dedi, haec eadem moriturus sponte relinquo."
 312 Dixit et interpres longa cum veste minister,
 313 cujus in officiis Musarum cura recumbit,
 314 famosos doctrina homines radio indice monstrat.
 315 "Occupat hic loca prima Plato, mens cujus in altum
 316 viribus ipsa suis elata, et libera vinclis,
 317 haurit inexhaustos sacris in fontibus ignes,
 318 divinae inspiciens pulchra exemplaria mentis ;
 319 hic et Aristoteles, qui longo exercitus usu,
 320 et rerum instructus vicibus, fecunda latentis
 321 semina naturae pandit : miraris hiantem,
 322 atque indulgentem dapibus, multisque fruentem
 323 deliciis turbam ! Qua majestate sophistae
 324 aspicias, incedant ! Quam circum plurima cingit
 325 barba sepulcrales vultus : hic abstulit aures

326 ipse sibi, foditque oculos, solemque perosus
 327 quaesivit lucem in tenebris ; hic carceris umbris
 328 se dedit : ille suos lucis studiosior annos
 329 angusto in spatio duxit : quem cernis ovantem
 330 hic idem aeterno carpsit sua tempora risu ;
 331 ast alium videas lacrimantem, et longa trahentem
 332 taedia, perpetuo carpsit sua tempora luctu :
 333 haec, quibus impositi digiti super ora, silentum
 334 agmina ; septenos licet his audire per annos,
 335 hoc tantum, acceptas vetitum est nam reddere voces.
 336 Addictus cunctis suus est locus, et quoque Pyrrho
 337 certam incertus habet sedem ; loca proxima numen
 338 venturum exspectant : aditus tibi concava suadent
 339 marmora, tu vacuos cumulabis solus honores,
 340 redditus excisis tandem novus incola saxi ;
 341 quin ostentat Adam digito monitore deorum
 342 regale hospitium, et molli te tramite sistit,
 343 praesignatque viam facilem : quos cernis, Hugones
 344 te comitem auspiciis tuti felicibus optant.
 345 Huc geminos nunc flecte oculos, hunc aspice, totus
 346 jam tibi decessit meliori numine plenus,
 347 partirique suas pro tanto amat hospite lautos.
 348 Quosque viros celebres immensa per atria cernis.
 349 Illa vides spatia ampla, tuis servata Camenis,
 350 tu quarum pars nobilior, quin subtrahe Musas,
 351 haec loca quanta, tui implerentur numinis umbra."
 352 Dixerat : en vigiles facto velut agmine Musae
 353 certatim irrumpunt sacras Victoris in aedes.
 354 Panduntur primo ingentes in limine portae
 355 protinus in praecipua foribus ruit agmen apertis
 356 Pieridum, angustatur iter, via lata minorem
 357 sensit habere locum, sua quamque cupido fatigat,
 358 et premit, et premitur, magis urgens sed premit intus
 359 ambitio, primos gaudens sibi carpere honores,
 360 optatasque diu tandem contingere sedes.
 361 Ac veluti pascens campis numerosa palumbes :
 362 hanc quis forte viam ingreditur, mox territa pennis
 363 dat sese glomerata polo, sese obvia quaeque
 364 insequitur, seseque premit, seseque volatu
 365 urget, vixque alas angustior explicat aer,
 366 dum fruitur tandem quaesitis reddita campis.
 367 Sed nova quae recreant nostros spectacula visus ?
 368 Unde tot ignitae magni victoris ad instar
 369 emicuere faces ? Virides cerno undique lauros.
 370 Quas capiti, manibusque, gerunt sacra agmina vittis
 371 purpureis ornata caput : dux fama sonoro
 372 aere canit, sequitur lento comes addita passu
 373 gloria plena sui, hanc laeti comitantur honores,
 374 divitiaeque auro multo, gemmisque superbae,
 375 parcius incedunt ; sociam se gratia jungit,
 376 cujus in ore decor multus : quam plurima turba
 377 Musarum insequitur, pluresque sine ordine Nymphae.
 378 Jam nudi dubiis splendent fulgoribus enses,
 379 et tremulos ignes revomunt. Portantur et hastae,
 380 et fasces recti, inque orbis vexilla rotantur.
 381 En pompae Regale decus ! Tolluntur in altum

382 stemmata, et insigni fulgescit purpura limbo.
383 Tu, Themis, his praesens aderas, solata dolorem es
384 protinus, et nostrum, tanto gavisa triumpho.
385 Emicat interea evectus Buchetius alis,
386 quas amor inclinans aptaverat : ille superbit
387 pondere, amatque suos tunc prodigus ipse labores.
388 Muneribus vestita suis per compita spargit
389 Flora rosas, plenaque manu diffundit odores :
390 sic roseum signatur iter ; tuba crebra triumphos
391 testatur, laetisque sonat concentibus aer.
392 Ventum erat antiquas sacri Victoris ad aedes ;
393 sistitur, et subito fremuerunt agmina motu :
394 sperato fraudata aditu, jam limina prima
395 sollicitant pulsante manu, ingressusque precantur.
396 Ac veluti flumen rapidis dum volvitur undis,
397 si solitos cursus immania saxa retardent,
398 incoeptum perrumpit iter, circumque per omnes
399 itque, reditque errando locos : si libera ruptis
400 sit via vorticibus, toto rotat impete lymphas
401 qua data porta : suisque exsultat victor arenis.
402 Sic laetas pia pompa fores invadit apertis
403 liminibus, victrixque subit longa atria multis
404 splendida luminibus ; magnum spirantia numen
405 haec loca, et adstantes decorant ea templa Camenae.
406 Intravere omnes, aditu plebs multa faventae
407 irrepit, seseque novo stupefacta triumpho
408 adjungit sociam : sequitur spectabilis ostro
409 doctrinaeque micans radiis Buchetius, omnes
410 quem Musae excipiunt monitae, nutuque salutant.
411 Musarum interea custos venit obvius olli,
412 et vacuum virga ostendens interprete marmor :
413 "Huc conscende, locoque, inquit, te redde parato ;
414 hanc sedem implebis, numerum implebisque deorum."
415 Annuit, et manibus Musae famulantibus omnes
416 asportant gaudente choro, auxiliaribus alis
417 ipse impulsit amor, nec pondus sensit amicum.
418 Tum sonitus dedit immensos, et tota sub imis
419 aula stetit pedibus, pulsu sonuere secundo
420 atria, et ingenti fremuerunt omnia plausu.
421 Vos, o Pierides, vanos compescite luctus,
422 quos ego compressi primus, tuque, optime vates
423 sic jubeo, jam parce, pepercit Apollo, querelis.
424 Dedecorant hilares suspiria maesta triumphos,
425 nec socias patitur laurus rediviva cupressos
426 purpureos gavisa Themis sibi sumpsit amictus,
427 mutavitque suos in maxima gaudia luctus.
428 Funerei procul hinc flammis feralibus ignes ;
429 sol Musis novus exoritur (sua sidera Musae
430 et solem novere suum) procul ite dolores,
431 et procul hinc gemitus, procul agmina feta querelis.
432 Spes rediit, date certa, deae, date lilia dextris,
433 spes rediit, fatisque datur melioribus uti.
434 San-Victorinis sibi junxit foedera Musis,
435 quas inter celebris, tot et inter numina clarus,
436 vivet in aeternos, vivet Buchetius annos.

BIBLIOTHECA THUANA NUNC MENARSIANA. CARMEN.

P_54 v.1 Vos umbrae, queruli manes gens clara, Thuani,
 2 seu tumulis lugetis adhuc fata aspera vestris,
 3 docta per Elysios seu ducitis otia campos,
 4 si vos antiquae tangit nova gloria gentis,
 5 huc vos ferte pedem ; neque enim vos purpura tantum,
 6 (quandoquidem leges solio dictastis ab alto)
 7 non trabeae, et fasces, non illa domestica virtus
 8 extulit, hospitibus nec structa Palatia Muis,
 9 quantum vestri olim Menarsus nominis ultor.
 10 Debuit in vestris celebrari annalibus, inter
 11 et Francos scribi heroas, non ultimus heros,
 12 debuerant etiam praesaga mente videre,
 13 natalemque diem, caelare et nomen in auro.
 14 Nam licet e vestra fuerit non stirpe profectus
 15 ille Thuanorum tamen instauravit honores,
 16 et lapsae decora alta domus, qui vestra tuendo
 17 nomina, qui titulos fatis melioribus auxit.
 18 Ac velut aestate in media, quando ardet in axe
 19 arentesque coquit lenta face Sirius agros,
 20 pauper aquae sicca vix sese evolvit arena
 21 triste fluens, jam jam sine re, sine nomine rivus.
 22 Occurrat tumidum juga per declivia flumen,
 23 ille inopes repens furtivo tramite fluctus
 24 jungere amat, sensim se attollit, et auctus eundo
 25 urbes ingreditur peregrinis dives ab undis.
 26 Improba sors dudum, gentique adversa Thuanae,
 27 tendebat Muis tam carum exscindere nomen,
 28 (summis stare diu, non hactenus invida Fata
 29 concessere, ruunt nimis alta, docentque ruina
 30 nos laetis adeo numquam considerare rebus) ;
 31 rodebat titulos Livor, saevo ungue Thuana
 32 nomina marmoreis delebat sculpta sepulcris.
 33 Nil patrii fasces, nil nomina magna movebant,
 34 nil tot legiferi trabeato ex ordine patres.
 35 Scilicet augustas meditans evertere sedes,
 36 antiquum Phoebi hospitium, loca sacra Camenis.
 37 Ne quid restaret vel tanti nominis umbra,
 38 regifico sumptu, extremoque ex Orbe petitos,
 39 vili pro pretio sperabat perdere libros,
 40 atque una totam paulatim exstinguere gentem.
 41 Dicta dies aderat, qua jam venalis Apollo,
 42 venales Musae, venalis gloria Pindi,
 43 proh facinus ! Tabulata super, Phrygiosque tapetas,
 44 aspiceres Musarum exposita volumina plebi,
 45 mille oratores, trepidos et mille poetas,
 46 qui fugitiva tenent injectis tempora frenis,
 47 qui Francos Regum annales, et fortia facta
 48 describunt : legum videas, jurisque magistris,
 49 qui lucem obscuris, qui dant praecepta per artes,
 50 quique potestates herbarum, occultaque rerum
 51 explorant elementa, et qui super aethera vecti
 52 dissita subjiciunt oculis propioribus astra ;
 53 quin etiam humanae supra mortalia mentes

54 Numinis ad nudos audent se attollere vultus,
 55 prorsus inaccessae scrutantes intima mentis.
 56 Confusi sine honore omnes, vilique sub hasta
 57 prostabant, miserum ! Rumor jam creber in urbe
 58 Musarum delubra rapi, sedesque Thuanas,
 59 haec illa antiquis habitata palatia Musis
 60 jam ruere, et vacuas passim volitare per auras
 61 collectas tot opes, vigilataque scripta tot annos,
 62 membranas putresque situ, et rubigine chartas,
 63 quas jactabat adhuc rugis veneranda vetustas.
 64 Non ita rex Pharius grandes congegit acervos
 65 librorum, doctae non tot vidistis Athenae,
 66 nec Vaticanas par quicquam Roma per aedes
 67 vidit, dum Latiis florerent moenibus artes.
 68 Hic aderant, queis nuda patet sine nocte vetustas.
 69 Baluzi et Valesiadae, geminique Herovalli
 70 Menagianae acies, et longa in veste Marolli ;
 71 Bulladusque toga brevior, breviorque capillo,
 72 et lippis oculis, totus ruber ora Varillas.
 73 Illi avido exesis inhiantes pectore libris,
 74 mussabant circum, nec fata indigna ferebant.
 75 Flebant Musae omnes, maerens et flebat Apollo,
 76 librorum cladem immensam, tot et optima scripta
 77 depositamque fidem, et sanctorum oracula vatam.
 78 Flebant doctorum commercia rupta virorum.
 79 Huc etenim certis veniebat turba diebus,
 80 turba virum selecta, favens et amica Camenis.
 81 Exundans plenis hic tota Scientia rivis,
 82 quae plebi indoctae numquam vulgaverat, ultro
 83 abdita pandebat pulsa mysteria nocte,
 84 sunt sua nam Musis sacraria ; visa redire
 85 ordine qui libros digesserat umbra Thuani.
 86 Horruit ipse locus, librorum exculpta supellex
 87 diripitur, toto circum indignante Licaeo.
 88 Tot gemitus inter, confusaque murmura turbae :
 89 dedecus aetatis nostrae, luctumque futurae,
 90 non tulit accensus stimulis Menardus honestis.
 91 "Scilicet assiduis tot parta laboribus, inquit,
 92 illa Thuanorum monumenta impune peribunt ?
 93 Quas flammae hostiles, quas bella domestica numquam
 94 diripuere, sacras tot opes, tot docta reperta,
 95 auferet una dies, mediaeque per otia pacis,
 96 quando vigent praeclarae artes, dum praemia ponit
 97 Colbertus, stimulos addens, animosque poetis ?
 98 An quae perpetuum dant Musae vivere in aevum,
 99 hoc fatum meruere ? Haec praemia digna Thuanis !
 100 Non patiar, sua laus semper, sua gloria per me
 101 durabit, doctis decus immortale Thuanis !
 102 Hae mihi erunt deinceps potiori jure Camenae,
 103 tantaque non titulis vilescent nomina nostris.
 104 Addam et opes, addam et titulos, crescetque per annos
 105 tanti fama operis, nostri quoque gloria coepti ;
 106 quin etiam immensis quas struxi sumptibus aedes,
 107 nunc habitent, solis fundata palatia Musis."
 108 Dixerat : hinc celeres facto velut agmine Musae,
 109 deserere antiquosque lares et tecta Thuana,

110 inque novas ruere, et certatim irrumpere sedes.
 111 Sic viso accipitre, aut nigra incumbente procella,
 112 dant se praecipites latebrosa in tecta columbae.
 113 Si qua it pone sequens, minus aequo tarda volatu,
 114 quamquam vi multa, atque aegris adremiget alis,
 115 it tamen, et superans longa intervalla viarum,
 116 se sociis jungit (pennas Amor ipse dedisset).
 117 Aspiceres notis alacres discedere tectis,
 118 nonnullas tamen ingemere, et lugere parumper,
 119 miscentes tepidos media inter gaudia luctus,
 120 vix ausae lugere palam : nec segnius instant,
 121 incumbuntque operi, tota concurritur aede,
 122 fit strepitus, seseque omnes hortatibus urgent :
 123 illae autem, nudis media plus parte lacertis,
 124 et nodo post terga comas, vestesque revinctae,
 125 tot gazas properant vacuas transmitters in aedes,
 126 stelligeros orbis, sphaeras, pictosque tapetas,
 127 tum mole immanes, ceu, pondus amabile, libros,
 128 laevo pars humero, geminis pars gestat in ulnis,
 129 ast aliae plenis simul avectare canistris,
 130 illae alacres capiti gaudent imponere summo
 131 fasciculi in morem et per iter sua carmina cantant.
 132 Rustica sic virgo bene olentes, quas legit, herbas
 133 portat, sic teneris fert pabula grata capellis,
 134 sub noctem patrio properans se reddere tecto.
 135 Jejunum queritur pecus incusatque morantem.
 136 Mirantur sedes, mirantur et ampla locorum
 137 tot spatia, et multo laquearia tecta sub auro.
 138 Hic stat perpetuos Menarso impendere honores,
 139 illius et statuum pario de marmore totam
 140 erigere, et seris hunc illum ostendere saeculis.
 141 Huc venient divinae artes, loca sacra Camenis
 142 certatim ornabunt, et erunt pars optima laudis.
 143 Huc etiam extremis venient e partibus Orbis
 144 externae gentes, venient manesque Thuani
 145 ad nomen, vir magne, tuum, et te vindice tanto
 146 clara recognoscent doctae primordia gentis.
 147 In te unum conversi omnes assurgere amabunt
 148 auctori tantorum operum, et melioribus acti
 149 consiliis, titulos ultro, tibi nomina cedent.
 150 Haec decora antiqua, hos unus renovabis honores.
 151 Tura tibi, tibiserta dabunt, tibi lilia Musae,
 152 laudabunt tua coepta, nec uno carmine dicent
 153 te vates : seris magnus monstrabere saeculis
 154 Musarum reparator, et altae gloria gentis.
 155 Interea monumenta tibi dum aeterna paramus,
 156 ne dubita summis misceri heroibus heros.

ILLUSTRISSIMI DOMINI D. J. NICOLAI COLBERTI, ABBATIS BECCENSIS,
 CHARITATIS ET AMBERTAE PRIORIS AC DOMINI BIBLIOTHECA.

P_55 v.1 Mirabar nuper quas servat porticus ingens
 2 obscuras veterum effigies, simulacra verenda,
 3 squalentesque situ, et multo sub pulvere vultus,
 4 quos jactabat adhuc nimis ambitiosa Vetustas

5 frendente invidia, et frustra obluctantibus annis.
 6 Ah ! memini, quanta se majestate ferebant !
 7 Parietibus longis certo ordine quisque sedebat,
 8 quid magni meditans : sacer atris vultibus horror.
 9 Mens, fateor, percussa fuit gravitate virorum
 10 tantorum : me me undique et undique turba vocabat.
 11 Nam totum in varias classes se evolverat agmen.
 12 Hanc ego dum tacitus perlustro ex ordine turbam
 13 admirans, doctus juvenis simul obvius ibat.
 14 Ille quidem Colbertus, amor patrisque voluptas,
 15 Musarumque decus, patrem qui fortibus ausis
 16 jamjam aequat non inferior, dum mente profunda
 17 res sacras, divina poli mysteria versat.
 18 Tum monstrans aperit radium, et me multa docebat,
 19 insignesque viros, insignia scripta sophorum.
 20 Numquam tot Phario congesta volumina regi
 21 famosa Aegyptus, non tot vidistis Athenae,
 22 cum pulchrae in vestris florerent moenibus artes.
 23 Nec Vaticanas per quidquam, Roma per aedes
 24 vidit, perpetuis monumenta fidelia saeculis.
 25 Cernere erat quos distinguunt mira arte columnae
 26 librorum seriem immensam, celebresque magistros,
 27 et doctas noctes vigilataque scripta tot annos.
 28 Saepa domus intra alta, mihi in regione sinistra
 29 divinum ostendit, spirantemque alta Platonem :
 30 libera mens cujus cognati conscia caeli
 31 cunctatum inspexit prima exemplaria rerum
 32 monstrat Aristotelem, qui longo exercitus usu
 33 naturae occultas vires, abstrusaque rerum
 34 principia et causas motusque arcana retexit.
 35 Damnabant Cynici tristes miserabile vulgus,
 36 promissoque capillitio, barbaque, togaque
 37 vitam incusabant ipsa sub fronte severi.
 38 Illi aderant omnes qui longa silentia servant,
 39 oraque compescunt digito, ne improvida verba
 40 effugiant, leges contra, moresque magistri.
 41 Vidi Democritum ridentem, et vana jocantem,
 42 librantemque atomos sudum per inane volantes.
 43 Ast alium vidi lacrimantem, atque aegra trahentem
 44 taedia, et aeternis carpentem humana querelis.
 45 Stabant doctae acies circum, Zenonia turba,
 46 Socraticique greges, Epicuri inglorius ordo,
 47 Diogenesque, et Porphyrius, sapiensque Cleanthes,
 48 et contemptor opum, patriae sub funere tristi,
 49 ipse Bias medios inter tutissimus hostes.
 50 Et septem sapiens quos Graecia jactat alumnos.
 51 Illi impugnabant odiis aequalibus illos
 52 obnixa contra, indociles stolidique magistri.
 53 Ridebant alios alii, illorumque ruina
 54 ambitiosi altos animos, capita alta ferebant,
 55 sperantes magnum sua per divortia nomen.
 56 Isti per vaga connubia, incertosque hymenaeos
 57 jura pudicitiae evertunt ; mihi parcite castae
 58 Pierides ; foedi per publica compita foedam
 59 exercent venerem, turpesque libidinis actus.
 60 Sunt alii qui vitam alacres sub paupere tecto

61 exegere suis, contenti hac sorte, libellis.
 62 Nam quamquam in doctas sese sapientia mentes
 63 fuderat, et penitus gazas reseraverat omnes,
 64 improba per totam tenuere silentia vitam.
 65 Vidi oratores, vidi legumque peritos,
 66 astrologosque et grammaticos, medicosque gravesque
 67 Historicos ; fugitiva illi luctamine magno
 68 protinus injectis sistebant tempora frenis.
 69 Turba sequebatur vatam, quos Itala tellus
 70 ediderat, redimiti omnes lauroque superbi
 71 conspicienda procul manibus sua scripta gerebant.
 72 Docta supercilia et spirantes numina vultus
 73 ut primum aspexi, rapuit vis ignea mentem,
 74 et totum sacro concepi pectore Phoebum.
 75 Tum mihi subridens Juvenis : "Ne quaere doceri
 76 amplius, inquit ; ea est, quam nosti, docta caterva.
 77 Accipe jam radium, et nobis memor ipse vicissim
 78 expone ingenia et tantorum scripta virorum :
 79 nos alterna decent, et amant alterna Camenae."
 80 Conticuit, jussitque meum persolvere munus.
 81 Vix ego perlustro positos certo ordine vates,
 82 cum subito me docta cohors, me doctus Apollo
 83 durius increpitans servare silentia jussit.
 84 "Colberto, dixit, stat nunc impendere honores,
 85 et statuam ingentem erigere, et celebrare quotannis
 86 illius et magnum et semper memorabile nomen."
 87 Et simul aptabant statuam simulacra virorum
 88 inter et insignes peperit quos doctior aetas.
 89 Hanc statuam ambibant omnes, hanc quisque petito
 90 ferro informabant meliori sede locandam :
 91 una meos sensus, mentemque animumque tenebat,
 92 usque adeo solito major fulgebat imago.

BIBLIOTHECA HUETIANA, TELLURIS HIATU ABSORPTA,

P_56 v.1 Flebant Musae omnes, maerens et flebat Apollo,
 2 flebat Apollinei turba diserta chori.
 3 Omnis Huetiadae librorum excussa supellex
 4 corrui in vastas, tristia regna, specus.
 5 Terrae e visceribus quippe eruta saxa profundis,
 6 has fecere specus, has sine sole domos.
 7 Concutitur tellus, subitoque exterrita motu
 8 subsedit ; quicquid stat super, ima petit.
 9 Fulcra domus cecidere, simul domus omnis, et una
 10 casu insperato bibliotheca ruit.
 11 Montibus impositi vano molimine montes
 12 sic ruere, in caelum dum capit arma Gigas.
 13 Attonita horrendo tremuerunt Tartara casu,
 14 unde fragor ? Sonitus quae nova causa latet ?
 15 Immanis nocte in media patefacta vorago,
 16 cernere dat tenebris Tartara tuta suis.
 17 Speravere diem longo post tempore Manes,
 18 rursus et ad superos posse redire putant.
 19 Implebant vacuas congesta volumina sedes ;
 20 nigris addita lux, illa maligna, locis.

21 Congeriem librorum atrae stupuere cavernae ;
 22 nec minus attoniti contremuere libri.
 23 Non tam Terra suas rapuit quas fossor avarus,
 24 rimatus ferro viscera, luxit opes.
 25 Heu ! Quam tristis erat scriptoribus illa ruina !
 26 Crediderint terris tunc rediisse chaos.
 27 Protinus Elysios it garrula Fama per agros,
 28 factum grande libris omnibus exitium.
 29 Intravisse cavos, ubi nox aeterna, recessus,
 30 tot scripta, aeternum quae meruere diem.
 31 Semina flammaram, vivacia sulphura plures
 32 indignos etiam luce vorasse libros.
 33 Convenere omnes dubii de sorte, supremum
 34 jam jam elati, et qui nondum obiere diem.
 35 Applicuere avidas rimis hiscentibus aures ;
 36 quisque sibi flamma jam crepitante timet.
 37 Quilibet autor opus, ne laedat flamma, tuetur,
 38 sic catulos tigris mater, et ursa suos.
 39 Confusus sine honore, sine ordine quisque jacebat,
 40 et quisque e tenebris, qua valet arte, fugit.
 41 Sic fugis, o Sirmonde, fugis quoque, docte Petavi.
 42 Vos ambo aetatis lumina quanta meae !
 43 Ne nox atra premat, quos eripuistis ab umbris,
 44 vos juncta auctores eripuerunt manu.
 45 Nil nocuit quicquam puris auctoribus ignis ;
 46 nil vitii in scriptis, menda nec ulla fuit.
 47 Non latebrosa intus metuit Cossartius antra,
 48 quippe sybillinam credidit esse specum.
 49 Omnis Roma vetus se contemplatur in illo,
 50 seu scribat numeros, seu pede liber eat.
 51 Docta Vavassoris nos terruit umbra Poetas,
 52 censor erat Latii, cultor et eloquii,
 53 obscenam, putrique situ, et squalore Rapinus
 54 cultus odoriferis floribus afflat humum.
 55 Ipse Menestriades non una insignis ab arte,
 56 scalam de libris fecit amore fugae.
 57 Evolat e nigro fossae telluris hiatu,
 58 dum videt artifices, hicque deesse typos.
 59 Antiquas Rhodanus dum praeterlabitur urbes,
 60 non sic praecipites in mare volvit aquas.
 61 Non ita fugisset, si quae vestigia Romae
 62 detegeret, quales cuderet inde libros ?
 63 Frizonem agnovi, desertoremque Ruaeum,
 64 quo lux accessit, Virgilioque decus.
 65 Nunc Christum resonans meliori Numine plenum,
 66 de vate orator factus, ubique tonat.
 67 Illum Picrides doctis flevere sub antris,
 68 templis relligio dum sibi plaudit ovans.
 69 Forte suum manibus gestabat utrisque Maronem ;
 70 salvo Virgilio, salvus et ille fuit.
 71 Non longum passus tenebras Santolius, hymnis
 72 ceu penna evectus, fertur ad astra suis.
 73 Caelestes non ausa libros vel lambere flamma :
 74 ardebant melius scilicet igne Deo.
 75 Suppositis manibus non excepere cadentem.
 76 Menagidam Musae, crus sibi fregit iners.

77 Lengletio superas nitenti assurgere in auras,
 78 alipedem Phoebus misit amicus equum.
 79 At virtute tua tete eripis ipse, Juvenci,
 80 obscuram summo vix pede tangis humum.
 81 Ne te infelicis laedant contagia turbae.
 82 Alta petis, puri luminis hospes eras.
 83 Virtutum chorus omnis, et ibat candida tecum,
 84 virtutum custos optima, simplicitas.
 85 Sic mea lux discedis, et alta in nocte relinquis,
 86 quos falsis error ludit imaginibus.
 87 Mole gravis, graviterque cadens, turbam obruit omnen
 88 ingens ingenti pondere Commirius.
 89 Moxque sepulcrali liberrimus exit ab antro
 90 exsultans, famulas praebet Apollo manus.
 91 Quo Musis accessit honos, in nocte jaceret
 92 scilicet ? Aonii luxque decusque chori.
 93 Terruerat me vatem, et vatum ignobile vulgus,
 94 induere assuetus dura supercilia.
 95 Tanta in clade, sua solus levitate superbit
 96 Pererius, summis nat velut ales aquis.
 97 Fecerat exsuccum labor improbus, arsque poetam,
 98 dum probat, et damnat, dumque retractat opus.
 99 Difficilem versus repetendo sonabat ad aurem,
 100 ipse operis iudex, censor et ipse sui.
 101 Quod si forte lyram manibus tenuisset eburneam,
 102 illum grande lyrae praecipitasset onus.
 103 Sic etiam fundum Lucas non venit in imum,
 104 excepit labentem obvia forte trabes.
 105 Ad risum modo factus eques sibi multa timebat,
 106 putri pendebat de trabe tota salus.
 107 Implorabat opem Balbae ridentis amicam,
 108 extendens longas, promptus abire, manus.
 109 Ereptus casu e tanto, atque minantibus umbris,
 110 mox Cadomum, Musis hospita tecta, redit.
 111 Ecquid id est ? Unde insolitus, qui perculit aures
 112 clamor ? Et unde viros nobilis ardor agit ?
 113 Funibus oblongis Academia tota trahebat
 114 lapsum mole sua, res miseranda, senem.
 115 Multa exclamanti socio succurrit, ab alto
 116 ceu puteo extractus, redditur ille sibi.
 117 Pro vita accepta, libros ad munera natos,
 118 quos male vendiderat bibliopola, dedit.
 119 Non ea sors, omnes quos excudere Camenae,
 120 contingit libris, Censor amice, tuis.
 121 Describis varios, pro re, pro tempore, mores ;
 122 non appellato nomine quemque doces.
 123 Si quis in hoc speculo deformia vix ferat ora,
 124 non damnet speculi, stultus inersque, fidem.
 125 E caelo, ut sapiant, missos mortalibus aegris
 126 et magno afflatos numine credo libros.
 127 Quis furor accensos agit in certamina vates ?
 128 Se lacerant scriptis, se calamisque petunt.
 129 Ille sui novus admirator, et arbiter aevi
 130 posthabuit veterum grandia scripta virum.
 131 Contra alter, pulchri fontes, fontesque Leporis,
 132 asserit antiquos, vel dubitare nefas.

133 E tumulo surgunt Graii, Latiique poetae,
 134 alto despiciunt scripta supercilio.
 135 Scilicet obscuret Romae decora alta superbae
 136 quos et adoravit Graecia docta viros ?
 137 An sic exercent odia implacata poetae ?
 138 Vestrum opus, o Musae, conciliare viros.
 139 Ut purum mediis micat in fornacibus aurum,
 140 sic fulges inter, terse Moneta, rogos.
 141 O quem te referam ? Per te rediviva theatris
 142 vidit Roma suos, obstupuitque duces.
 143 Tu veheris densa vatium comitante caterva.
 144 Astra super, poterat te neque turba sequi.
 145 Longo intervallo tua nos post terga relinquis ;
 146 quanta cothurnati gloria vatis erat !
 147 Invideat nemo primos tibi laudis honores ;
 148 quo tua te virtus extulit, ire nefas.
 149 Gignoni ad libros, ubi tota scientia prostat,
 150 in se dira redit flamma, cavetque virum.
 151 Francorum annales, veterum diplomata regum
 152 Hervallus custos servat. Utraque manu.
 153 Non ita servavit libros Bullaeus ab igne,
 154 ni projecisset longius, ustus erat.
 155 Omnis, eo labente, Academia lapsa gemebat,
 156 visa est cum titulis perdere jura suis.
 157 Fascigeri accurrunt tota cum gente togata
 158 lictores, doctor Parvipes ipse venit.
 159 Non potuit fletus retinere, reditque Navarram
 160 Guiscardus, pigris sed male tractus equis.
 161 Illum solatur Graeco sermone Tavernus,
 162 frustra, quippe nihil Musa Pelasga potest.
 163 Sorbonicus, dum flamma furit. Non atsit Iarbas
 164 libera quo nescit Gallia frena pati.
 165 Aeternis Roma indignans damnaverat umbris,
 166 quem Sorbona tenax juris ad astra vehit.
 167 Ludebat medias inter, sine labe, favillas ;
 168 Vaticana inter fulmina, tutus erat.
 169 Mamburgum obstupui totis certare lacertis,
 170 ne mendorum ultrix flamma voraret opus.
 171 Librorum scriptor sub iniqua mole gemebat
 172 infelix ! Libris obrutus ipse suis.
 173 Hunc prope, jam senior, lippus, ruber ora Varillas,
 174 qua sese eripiat, Gallia monstrat iter.
 175 Carceribus dum Lazariis miserabilis auctor
 176 ingemit, haud potuit consuluisse libris.
 177 Uruntur, levis haec jactura ; sed uritur ipse
 178 nil sibi commissi conscius ; unde miser.
 179 Vincula cadant manibus, postes rumpantur aeni :
 180 an scelus est larga spargere dona manu !
 181 Amisit tenebras lustratus ab hospite carcer,
 182 felix, ni nimium prodigus aeris, erat.
 183 Quis memoret dantes misero pro carmine poenas ?
 184 Quos malus exercet nocte dieque labor.
 185 Iratis scribunt qui cruda poemata Musis,
 186 in cineres atros sese abiisse vident.
 187 Invisum Superis genus, auctoresque nefandi,
 188 quos neque Virgilius, quos nec Homerus amat

189 qui veterum exuviis furtoque impune superbi,
 190 venantur laudes, quasque libenter emant.
 191 Praedones famae alterius spoliantur, et ultrix
 192 docta poetarum territat umbra reos.
 193 In tenebras se conjiciunt, et nocte fruentes
 194 vel minimum possunt vix tolerare diem.
 195 Cassander pateris vino spumantibus ignes
 196 comprimit, ut coepit laedere flamma comas.
 197 Incola Sorbonae, Pontanus, et hospes acuti
 198 montis Polydamas, cum Labeone perit.
 199 Pinguia Magnatum penetrantes tecta poetae
 200 ardebant avidis debita praeda rogis.
 201 Squallida, tristis, inops, et vilibus horrida pannis
 202 tota Caledoniis gens abigenda plagis.
 203 Opprobrium Musarum, et culti dedecus aevi,
 204 barbaries Latiis vatibus unde venit.
 205 Quam vellet Francas numquam ascendisse carinas !
 206 Sed pius impulerat relligionis amor.
 207 Vultu avido periere, lues taeterrima Pindi,
 208 quos fecit vates ingeniosa fames.
 209 Choleti indociles, et montivagi Becodini
 210 nunc poenas, dudum quas meruere, luunt.
 211 Illorum e damno sibi plaudit, et alta cothurno
 212 visa est Melpomene tollere ad astra caput.
 213 Squallorem posuit, priscosque resumpsit honores,
 214 ex quo tot pestes interiisse videt.
 215 Vindicibus vidi semusta volumina flammis,
 216 necquicquam auctorum surripiente manu.
 217 Relliquias tristes, vacuae tot somnia mentis
 218 secum asportabant prolis amore suae.
 219 Hymnographum, Superi, vatem mactastis ad aram,
 220 si non mactassent, jam foret ille cinis.
 221 Santoli divinum et non imitabile carmen
 222 ausus sacrilegis aequiparare sonis.
 223 Ultra sortem audax, communi in clade, Tarillo
 224 ridebat reliquos, qui sibi damna timent.
 225 At pulvis Pyrius furtivum concipit ignem,
 226 et scripta auctoris devorat ipse sui.
 227 Quique alios ludebat, et idem luditur ipse,
 228 arte sua nimium fretus, et ingenio.
 229 Nos sacri, o juvenis, non sic impune poetae
 230 ludimur ; ultores disce timere deos.
 231 Proximus, heu nimium ! Arsisset mea cura Faguerus
 232 sed jacta Aonia flamma quievit aqua.
 233 Ambustos crines flavus reparavit Apollo,
 234 summae et curavit vulnera prima cutis.
 235 Pestifero afflatu qui totam infecerat urbem,
 236 Tartareas sedes et sua regna subit.
 237 Hanc Laudunenses pestem ejecere, sibique
 238 relligio timuit, dum sacra dente petit.
 239 Indignante Deo absorptum tellure sub ima
 240 hoc monstrum, Superis exitiale, putem.
 241 Ju poenas scelerum thalamis extenditur igneis ;
 242 pabula dant flammis, dant thalamosque, libri.
 243 Pinguior hinc fumus late omnes inficit auras,
 244 Musarum antiquas pervolitatque domos.

245 Fumi ad nidorem miseri fugere poetae,
 246 illos nam similis debita poena manet.
 247 Et quaerunt latebras, montis juga celsa relinquunt,
 248 et fugiunt, pennas nam timor addiderat.
 249 Tum Mazarinis sese omnes vallibus abdunt,
 250 prudens et sacris tuta caterva locis.
 251 Frustra ; ne Latiae laedant contagia pestes,
 252 qui flammam vitant, praecipitantur aquis.
 253 Non impune tamen secum traxere Poetam
 254 nescio quem ; nomen dicite Pierides.
 255 Ille capillitio, vultuque, togaque, novisque
 256 pingue emendabat vestibus ingenium.
 257 Sequana submersum potuit non omnibus undis
 258 abluere, infelix quod recitarat opus.
 259 Pierides solitae post funera flere poetas,
 260 hoc damno fletus continuere suos.
 261 Ne me inconsultum raperet gens barbara vatem,
 262 paulisper retuli cautior inde pedem.
 263 Interea caecis dudum eluctata cavernis
 264 tentat se luci reddere tota cohors.
 265 Aspiceres scriptorum animas volitare per auras,
 266 atque illaesa sua scripta tenere manu.
 267 Exhibant neque tutatim, verum unus et alter,
 268 ceu nigra egressus de Styge, promptus abit.
 269 Ante alios mitra effulgens, in vestibus aureis
 270 hoste triumphato lucida regna petit.
 271 Olli Relligio, quo vindice sancta per omnes
 272 jura dabat populos, obvia rumpit iter.
 273 Terribilis calamo, et blanda gravitate serenus
 274 cogebat stygias monstra redire domos.
 275 Versalios repetebat agros, vallesque beatas,
 276 has Fenelo valles, hosque colebat agros.
 277 Hic ille est, quem rex de millibus eligit unum.
 278 Regia progenies instituenda fuit.
 279 Qui tam magna sapit, Floro da Gallia flores,
 280 in partem tanti muneris ille venit.
 281 Flexerium comptum eloquio, scriptisque disertum,
 282 suada oratorem prodit ubique suum.
 283 Laudati Manes invita morte resurgunt,
 284 hoc praecone duces, se sua facta stupent.
 285 Flora suum curru aurato, et Pomona vehebant
 286 certatim vatem, credo, Rapinus erat.
 287 Texuerant capiti vario de flore coronam,
 288 hortis quae praesunt, numina culta, Deae.
 289 Illum ripae omnes, illum nemus omne sonabat,
 290 omnibus et plaudens Najas ovabat aquis.
 291 Pone sequebaris, nimium, o dilecte Buhursi,
 292 cui debet Veneres Gallica lingua suas.
 293 Nil labis traxit scriptorum immixtus acervo,
 294 moribus et scriptis purus ubique nitet.
 295 Sol veluti turpes lambit dum lumine fossas,
 296 purae adeo luci nil tamen inde perit.
 297 Salve, o qui praefers laeto bona gaudia vultu,
 298 cujus in ore Charis, cujus in ore lepos.
 299 Illius ad casum tellus adapertha coisset,
 300 ni famulans Charitum turba tulisset opem.

301 Quantos fudisset pullata Academia luctus !
 302 Uno absente, licet Regia, facta minor.
 303 Palantes animae, nulla statione reperta,
 304 antiquas sedes, et loca nota petunt.
 305 Nulla sed apparent vestigia : funditus omnis
 306 corruerat Musis semper amica domus.
 307 Haud secus, ac populata vident cum mella, favosque,
 308 cellas circum errant, et glomerantur apes.
 309 Verum ubi subduxit cum melle alvearia pastor,
 310 occurrat quercus, gens vaga fixa manet.
 311 Est media domus urbe, procul tamen illa tumultu,
 312 regum opus, augusta fronte superba domus.
 313 Hanc ego praetulerim sedem longe omnibus unam,
 314 floret ubi pietas, ingeniumque viget.
 315 Exundat plenis hic tota scientia rivis,
 316 qui sitit accedat, largius inde bibet.
 317 Hic tripode e sacro fundunt oracula vates,
 318 sunt augusta quibus credita jura Poli.
 319 Hic placuit Phoebos et Musis, sibi figere sedem,
 320 commodior toto nullus in orbe locus.
 321 Dum loquor, en facto velut agmine densa palumbes
 322 irrui, in tutas se recipitque domos.
 323 Non venere omnes, sociis fugere relictis
 324 sacrilega spargunt qui nova scripta manu.
 325 In diversa volant late loca, vivere querunt
 326 pro nutu, et nulli subdere colla jugo.
 327 At potior numero pars plurima, versa ruina
 328 non posthac queritur, nec dolet hospitia.
 329 Miratur spatia ampla, sacrosque intrare recessus
 330 gaudet tam doctis consociata viris.
 331 In varias classes se totum dividit agmen,
 332 quisque sua, ut par est, in statione sedet.
 333 His novus accessit splendorque et gloria tectis,
 334 et magis actus honos, addita mensque fuit.
 335 Omnis Huetiadem resonat domus, hospite tanto
 336 major visa sibi, plaudit Huetiadae.
 337 Quotquot erant venienti assurrexere Magistro
 338 hujus praeses erat, lux, geniusque loci.
 339 Ne fugiant seros tanta haec benefacta nepotes,
 340 quisque studet titulis hunc decorare novis.
 341 Illius hic statuam pario de marmore ponunt,
 342 illud et inscripsit carmen amica manus.
 343 "Hoc, tibi, Musa omnes posuerunt marmor, Hueti,
 344 unde venit Musis omnibus omne decus."

CLAUDIO PELETERIO URBIS PRAEFECTO,
 OB DONO DONATUM, LUDOVICI MAGNI AUREUM NUMISMA.

P_57 v.1 Desine, Musa, queri, et te dignos concipe fastus,
 2 ex quo Pelterius culto pro carmine pendens,
 3 artis opus summum, nullaque imitabile dextra,
 4 sacrum, augustum, ingens, Magni regale numisma
 5 obtulit, aeterni monumentum, et pignus honoris.
 6 Audax ille tamen nimium sibi fisis et arti,
 7 qui durum excudi, et nusquam tractabile jussit

8 Principis in vultus nunc mollius ire metallum.
 9 Poscebat vatem tantus labor : aera, colores,
 10 marmora muta silent, haec vertit dira vetustas.
 11 Nobis concessum est Lodoicum ostendere saeculis,
 12 hanc frontem, qua tota sedet, mulcetque tuentes
 13 regia majestas, grandi depingere versu
 14 hos oculos, ubi Mars habitat, nec me ora pigebit,
 15 sanctior unde Themis divina oracula promit.
 16 Quamquam o quae vivis depingam versibus, offert,
 17 ipsa laborato Praetor caelata metallo :
 18 desine Musa queri, et te dignos concipe fastus.

LUDOVICO DE BOUCHERAT FRANCIAE CANCELLARIO,
 OB OMNIBUS LITTERATIS ACCESSUM FACILEM ET BENEFICUM.

P_58 v.1 Fallimur, o vates, Musas, et carmina curant,
 2 nos et amant aulae Proceres ; in honore Poetae
 3 jam sumus, indignosque sales, convicia, sannas,
 4 et faciles patimur stultae fastidia plebis,
 5 ex quo supremus juris, Themidisque sacerdos
 6 descendit legum e solio trabeatus, ut omnes
 7 in me uno excipiat, dignatus honore, poetas :
 8 audite haec, si tangit honos et gloria vates.
 9 Ut confusum inter, me agnovit mille clientes,
 10 obvius occurrit, turbaque hinc inde relicta,
 11 et velut oblitus solitae gravitatis amabat
 12 ingentes molli alloquio deponere curas
 13 quin etiam jussit convivam accumbere mensae,
 14 et bibere in gemma, quales vel Juppiter ipse
 15 nectareos vellet sitiens potasse liquores.
 16 Hinc meliore nota, meritis et honoribus aucti
 17 alta supercilia induimus, fastuque resumpto,
 18 et fronte audaci cognata lacessimus astra.
 19 Fortunaequae vices ridemus, et aurea sceptra
 20 calcamus pedibus, regumque aulaequae favores
 21 supra propositos, sola virtute beati.
 22 Per te nos sapimus, per te reverentia nobis
 23 debita conciliat populorum, et Regis amores :
 24 intramus, duce te, turrita palatia Regum,
 25 nec jam torva tuens, positaque inglorius hasta,
 26 quando salutamus vel limina prima, satelles,
 27 ingentes aperit stridenti cardine portas.
 28 Usque adeo nostri praesentia numinis urget !
 29 Ire redire licet, nobisque per atria longa
 30 observare, moras quae dant perferre clienti,
 31 texta operum variorum, artesque manusque magistras.
 32 Vos, o Pierides, luctus compescite vestros,
 33 quas olim coluit doctas Seguerius artes,
 34 impendens magnis Regalia dona poetis,
 35 ille colit successor, et ampli muneris haeres
 36 vatibus et Misis hunc ipsum servat amorem.
 37 Nam licet imperii curas partitus in omnes
 38 pro re diversa commissa negotia tractet,
 39 nos bonus interdum, nos lumine respicit aequo
 40 fallimur, egregii jam sunt in honore poetae.

DAMON ET AEGON. ECLOGA.

P_59 v.1 Sequanico nuper flebat sub litore Damon,
 2 multa gemens, tristes turbabat fletibus undas,
 3 conscia respondent circum cava saxa querelis.
 4 Errabant passim nullo custode per agros,
 5 et loca per deserta greges, pecus omne silebat,
 6 et volucres mutae ramo infelice sedebant ;
 7 felix, si cantu potuisset fallere curas !
 8 Vocales sed enim calami, sua gaudia quondam,
 9 nunc dolor, ante pedes nuda tellure jacebant.
 10 Dicite, Pierides, tanti quae causa doloris ?
 11 Scilicet oblatum festa ad solemnia carmen,
 12 egregium carmen Damonis, et ante probatum
 13 respuerant surdi mutata mente sodales ;
 14 ante habito, forte attulerat qui carmen, Amynta.
 15 Is dolor et miserum Damonem ea cura coquebat.
 16 Ille solebat enim longe superare canendo
 17 pastores reliquos, nec qui certare canenti
 18 vellet, erat : teretem inflaret modulante cicutam
 19 cum digito ; aut victus, si quis certasset, abibat
 20 non bene rivus aquae sese componeret amni,
 21 nec cythiso certat quercus, tenuique myticae,
 22 quae sublime caput fagus sub nubila condit.
 23 Illius ad cantum vicinia tota ruebat :
 24 flavus Athis, niger et Corydon, et fuscus Iolas,
 25 et Dorylas cum patre puer, veloxque Palaemon,
 26 et plusquam centum gravis annis Alpheisiboeus.
 27 Deseruere etiam nativa cubilia nympphae,
 28 Sequanides nympphae, glaucumque e fluctibus imis
 29 exseruere caput : silvas atque hospita saxa,
 30 non jam lucifugae, rapti dulcedine cantus.
 31 Ultro linquebant, agrestia numina, Fauni.
 32 Attamen ille fui jam sit nova fabula pagi,
 33 plus potuit magni praelatum carmen Amyntae ;
 34 nam canitur : sonat omnis eo pagusque, nemusque,
 35 quin etiam in duro caelatur cortice carmen,
 36 quod legit et memori servat sub corde viator.
 37 Id dudum infensus non aequa mente ferebat,
 38 pastores inter magnos non ultimus Aegon ;
 39 olli namque pater Regales cesserat hortos,
 40 herbarum succis dites vitalibus hortos.
 41 Quid non, conjunctis aliquid cum viribus audet
 42 conjurata cohors ? Quo fortius ille tuetur
 43 Damonis partes, hoc acrius aemula turba
 44 obnitens contra, non desistebat Amyntae
 45 et versus recitare, simulque attollere caelo,
 46 tanta erat in pagis et fama, et nomen Amyntae.
 47 Ut vidit turbam indocilem, non obstitit Aegon
 48 amplius, et se se male victus deinde remisit.
 49 Quid faciat ? Juvat et solari, et multa querentem
 50 Damona, hoc superest, verbis compescere amicis.
 51 "Ecquid id est ? Dolor unde animum dejecit, et unde
 52 crebra gemis solus deserto in littore Damon ?

53 Omnis ripa silet, silet aura, silentque volucres,
 54 cantibus alternis quae respondere solebant ;
 55 Sequana nonne vides, querulis it tristior undis,
 56 et fluctu invito dominam descendit in urbem,
 57 nec jam ludentes per caerula flumina Nymphas,
 58 ex quo te tenuit dolor, aspectare licebit.
 59 Scilicet, an tanti sunt haec tua carmina, Damon,
 60 ut quae spreta semel, subito tua gaudia turbent,
 61 nil perit inde tibi, nil arbor perdit honoris
 62 una fronde minor, rapuit quam saevior aura :
 63 nil volucris gravitatis amans Junonia cedit ;
 64 si picturati fors orbem amittat ocelli.
 65 Mille ovibus comitatus, ovem non plorat ademptam
 66 pastor ; pauperis est numerare pecusque, levemque
 67 jacturam non posse pati ; tibi carmen ademptum,
 68 non hinc raptus honos ; quantumvis plaudat Amyntas,
 69 Alcippo satis est placuisse, quid amplius optas ?
 70 Et te Mopsus amat, nec te odit dives Iolas,
 71 qui centum e stabulis armenta ad pascua mittit.
 72 Legimus inscriptos aurato carmine fontes,
 73 unde superba suis exsultat Naias in undis,
 74 marmoream ostentans, cui molliter incubat, urnam.
 75 Mille tuis pendent, quae praemia digna tulisti,
 76 arboribus, positae quercus tua lumina inumbrant.
 77 Tu pluviam cantu longum sitientibus arvis
 78 rupta nube vocas, et caelum triste serenas.
 79 Scis placare deos, gregibusque avertere pestem,
 80 et stragem arboribus, tam dulce sonantibus hymnis.
 81 Incipe, sume animos, abigat tua fistula curas,
 82 tristitiam ponent, et erunt tecum omnia laeta.
 83 Gaudebunt silvae, gaudebit et incola silvis
 84 triste gemens Philomela, nemusque redibit avitum,
 85 versicolorque suum carmen renovabit Achanthis ;
 86 Sequana vicinam jam laetior ibit in urbem,
 87 insultans fluctu tibi plaudet et omnibus undis."
 88 Haec fatus, viridi textam de fronde coronam
 89 Damoni imposuit, rapti solamen honoris.
 90 Hoc dono recreatus, humi qui forte jacebant,
 91 collegit calamos, et munere laetus amici,
 92 compositis buxo digitis, discrimine justo,
 93 incoepit Damon varios depromere cantus,
 94 atque Aegona suum villas resonare per omnes ;
 95 villae omnes Aegona, et silvae Aegona sonabant.

AD MICHAELEM GIRARDIN SODALEM SUUM.
 DUM URGET ILLIUS LIBELLI EDITIONEM.

P_60 v.1 Quod redit e tenebris, et longa in nocte sepultum,
 2 in noctem et tenebras, credo, redibit opus :
 3 haec quondam iratis tentavi carmina Musis,
 4 quae nullus sanae mentis, amice, legat.
 5 Haec puer, haec juvenis scribebam somnia, risi
 6 quae senior ; juvenes ludere quippe juvat.
 7 Non eadem tremulis senibus concessa potestas ;
 8 laus juvenis, fuerit culpa, senisque pudor.

9 Sint qui vitam agitent, per mille negotia fracti
 10 consumant miseros nec sine lite dies.
 11 Solus ego solis contentus vivere Musis,
 12 consumpsi aetatis tempora prima meae ;
 13 ridebant socii scribentem carmina ventis,
 14 ridebam nugas primus et ipse meas.
 15 Quid facerem ! Cum dura jubet fortuna poetam
 16 esse, tamen, fallor, non ita dura fuit.
 17 Quos ego promebam vena de divite versus,
 18 urbem pervolitant, pervolitantque domos.
 19 Nescio quid famae scriptis veniebat ab illis,
 20 nec mihi tum puero, Phoebe, sinister eras.
 21 Vatem me Fontes, et me quoque Sequana vatem
 22 dicebat, de me rumor in urbe fuit.
 23 Tum mihi plaudebam tacito sub pectore vates ;
 24 dicebant vatem marmora sculpta suum.
 25 Quin etiam nostris inscriptam versibus Urbem
 26 suspexi, laudis captus amore meae.
 27 Parcite, Pierides, fama pascebar inani,
 28 dum mea ridebat carmina Commirius.
 29 Felix heu nimium ! ni decepisset Apollo,
 30 ah ! Nimium famae lusor Apollo meae.
 31 Scilicet, ut senui, juveniles improbo Musas :
 32 et me tamque diu desipuisse pudet.
 33 Mox aliam toto concepi pectore flammam.
 34 Delapsa aethereis sedibus illa fuit.
 35 Abripior jam non mortalis, et exuo corpus,
 36 oblitusque meae sortis ad astra feror.
 37 Intravi rutilas confidentissimus arces,
 38 totaque caelicolum sponte reclusa domus.
 39 Tunc Superos omnes non uno carmine pingo,
 40 et pro dote sua, laus sua quemque manet.
 41 Omnia tunc reboare novo exsultantia cantu
 42 templa ; meus, fateor, non fuit ille labor.
 43 Me divina facri vis Numinis intus agebat,
 44 scribentisque manum rexerat ipse deus :
 45 tum mihi quam viles, Parnassi numina, Musae !
 46 Luserat heu ! quantis error imaginibus !
 47 Omnia vindicibus devovi carmina flammis,
 48 me quoque, si posset flamma piare reum.
 49 In tenues ibant ingloria scripra favillas,
 50 quae tamen eripuit non inimica manus.
 51 Mox dedit in lucem ; non indignabar amico ;
 52 iram, quam volui fingere, risit Amor.
 53 Posteritas, si quam mereor, laudabit amicum,
 54 si mea non damnet carmina posteritas.
 55 Quid dicam ? Causa sese ille tuetur iniqua.
 56 Me sapuisse putat, desipuisse puto.
 57 Unum plus timeo, ne sit data vermibus esca,
 58 quem minime vendet Bibliopola, liber.

FRANC. GUESTONI, AMICO SUO,
 OB RECUPERATA PER ILLUM, QUAE HIC LEGUNTUR, CARMINA.

2 Quotquot et hic cecini heroas, si gloria tangat,
 3 hic tot adeste ; meo mecum persolvite grates
 4 Guestoni nostros partiri debet honores :
 5 nam vestris quamquam virtutibus ultima saecula
 6 applaudent ; liceat qui vos dedit ire sub auras.
 7 Carminibus celebrare, tot annos perdita solus
 8 carmina restituit, meliori debita fato.
 9 Quod si posteritas collecta poemata volvat,
 10 servatorem operum tacito sub corde salutet.
 11 Sint qui me numerent inter, scribantque poetas,
 12 lauris mille onerent sacrum caput, optime Gesto,
 13 hanc silvam poteris de vertice tollere nostro,
 14 aut saltem ex illa meritum tibi vellere ramum.
 15 Nec se Pierides, nec sese jactet Apollo,
 16 quando mea afflarunt manifesto numine vatem ;
 17 te sine, praeco mei, et reparator nominis, eheu.
 18 Pulvere sub multo, quae scripsi, inhonora jacerent.
 19 Nam quid dissimulem ? Me quando heroica facta
 20 scribere bellorum praeclara eventa jubebant,
 21 non adeo infaustis fundebam carmina Musis,
 22 quae cita Fama, rudi quamquam indigesta Minerva,
 23 furto laeta suo geminos portabat ad axes.
 24 Ne nostrum expungant inimica oblivio nomen,
 25 illa renarrabat, sed enim sine pondere charta
 26 lecta semel, rapidos aut promptior ibat in ignes,
 27 aut putrefacta situ, tineis immitibus esca,
 28 sordebat ; me si melior fortuna maneret,
 29 laude aliqua, brevis illa quidem, fama fruebar.
 30 Verum ne fierent rapidis ludibria ventis,
 31 adseris in solidos compacta poemata libros.
 32 Temporibus defuncta suis mea gloria per te,
 33 et defuncta locis renovatur, et auspice tanto
 34 fama reviviscit, seros quae duret in annos,
 35 invidiam contra, et fatalem temporis iram.
 36 Tu custos ceu depositi, mihi providus ultro
 37 et famae invigilans, centum sub clavibus aurea
 38 quae dudum lucem ambibant, mea scripta tenebas ;
 39 has depromere opes, promptusque evolvere gazas,
 40 si quas concessit Latius sibi poscat Apollo,
 41 plaudite Musae omnes, jam carmina nostra poposcit.

AD BURGUNDIAE COMITIA IN LITTERATOS MUNIFICA,
 OB PROMISSA POETAE VINA.

P_62 v.1 Hactenus irrisi, jam sunt in honore poetae ;
 2 ex quo carminibus gaudens Burgundia nostris,
 3 obtulit e fundo nata, et felicibus astris,
 4 digna Deum mensis, generosi munera Bacchi,
 5 et quibus accensi scribunt meliora poetae.
 6 Usque adeo humanas demulcent carmina mentes !
 7 Non equidem invideo, Thebanae conditor urbis,
 8 qui dulces citharae ad numeros aurita moveri
 9 saxa jubes, silvasque trahis : mihi gloria major ;
 10 scilicet ambrosios, dulcissima vina, liquores
 11 servatos mensis caelestibus, arte magistra,

12 et potui in nostram deducere cantibus urbem.
13 Doctae Pierides, vestros mihi claudite fontes,
14 unde ardent vates, mihi friget Castalis unda.
15 Non posthac vobis opus est, nec Apolline dextro.
16 Me melior deus intus agit ; secedite, Musae ;
17 numinibus vestris jejunum afflate Poetam.
18 Non licet epoto jam nunc male scribere Baccho.
19 Ad vitreos calices, ubi scintillantia vina
20 subsiliunt oculis ; hausto ceu numine plenus
21 quid non aggrediar ? Quanto te carmine dicam ?
22 O mihi supra alias nunc divio clarior urbes !
23 Tu largos vini latices, das inter amicos
24 convivas bibere, et pateras implere capaces
25 rursus, et in vultu das totum pingere Bacchum.
26 Non vos transierim, gentis decora alta vetustae,
27 Bugundi proceres, neque vos, qui sacra ministri
28 tractastis ; populusque sua non laude carebit.
29 Sed longe ante omnes hilari recreatus Iaccho,
30 (blanda fatigatae sibi poscunt otia Musae)
31 et positis vacuus, media inter pocula, curis.
32 Nec citharae jam vocis egens, magno ore sonabo
33 quae densa vult nocte premi Condaeus, amica
34 quae sparsit benefacta manu ; neque Musa silebit
35 me quibus et titulis, quantis et honoribus auxit
36 non adeo immeritum : sensit vim carminis aequus
37 arbiter, atque illum numquam censura fefellit.
38 Non ego diffitear, studio et multa arte politum,
39 a me et laudatum trepidasse hoc iudice carmen.
40 Illius ad doctas vitium se detegit aures.
41 Sed quid ego haec ? Tanti me gloria Principis urget.
42 Pro patria incolumi, et regni felicibus armis,
43 dicam indefessos, mentisque, animique labores :
44 addam, ut nascentes Procerum restinxerit iras,
45 fatales causas odiorum, et semina belli ;
46 ut jus cuique suum servaverit, aequus in omnes :
47 unde redit pax compositis, et gloria rebus.
48 Fortunata nimis Burgundia, tuta patronis
49 principibus, tibi promissos e sanguine Regum
50 Borbonios agnosce Duces : non amplius atris
51 dum fulgent haec astra, agitabere quassa procellis ;
52 nec tua pinguescent fuso satura arva cruore :
53 alma Ceres potius, rorem sudantibus astris,
54 nutriet ipsa suas praesenti, Numine messes :
55 et felix steriles ditabit copia campos.
56 Concipe spes altas ; melioribus altera fatis,
57 (ponent arma duces) surget tibi faustior aetas.
58 Ingemuisse semel pudor est sub Principe tanto.
59 Auguriis sis laeta tuis ; pluvialibus austris
60 non semper nitidos turbabunt nubila Soles.
61 Vertent se in melius res denique, et omnia sese
62 component quae mota prius, nec culta tot annos
63 praesidibus deerit florens Academia Musis.
64 Nos amat, et vates et vatum carmina Princeps.
65 Praemia erunt, magnis stimulos virtutibus addet ;
66 et calamis omnes pugnabunt proelia doctis.
67 Non ita desperes, rerum mutabitur ordo ;

68 aspera mox positis mansuescent tempora bellis.
 69 Post longa exsilia, trepidae inter bella Sorores
 70 Aoniae, jam jam composita pace redibunt.
 71 Vidisti nuper studiis ardentibus una
 72 et patrem, et natum, procerum admirante Senatu,
 73 certantes ambos miseris succurrere rebus :
 74 tantus amor Patriae ! Tanta urget gloria Regis !
 75 Dum loquor, ecce meas rumor pervenit ad aures,
 76 Tritonum comitante choro, Zephyroque favente,
 77 impositum fluvio properare ad littora Bacchum.
 78 Omnes pampinea velati tempora fronde,
 79 certatim impellunt manibus, ducuntque phaselum.
 80 Sequana, qui placido semper fluis amne, morantes
 81 fluctus praecipita, et Rhodano velocior urge ;
 82 nec trepides, jubeo, circumfamulantibus undis,
 83 invehere in nostros tibi credita munera portus.
 84 Hoc tantum, haud alios te vellem vertere in usus.
 85 Si facias, vos Sequanides mihi plaudite Nymphae,
 86 longe alio, quo te cecini, celebrabere versu.
 87 Haec sitio promissa mihi dum vina, canebar ;
 88 quanta voce canam fecondo potus Iaccho !

SANTOLIUS BURGUNDUS AD COMITIA BURGUNDIAE
 SUB SERENISSIMO DUCE LUDOVICO BORBONIO ANNO MDCXCVII. IDIBUS JULII.

P_63 v.1 Non satis est vidisse semel te, Divio, rursus
 2 carminibus dicenda venis ; sine munere Bacchi
 3 frigidus in laudes noster languebat Apollo.
 4 At postquam vino incaluit, pectusque subivit.
 5 Ambrosius liquor, et venas penetravit inertes,
 6 (plaudite Burgundi) melioris semina flammae
 7 hausit, et excusso mentisque, animique veterno,
 8 provocat intus agens te dignos scribere versus.
 9 Nec Patria invidet, jam vix Lutetia mater.
 10 Ex quo jure tuum repetis mea Divio vatem.
 11 Illa inter reliquas altum caput efferat urbes,
 12 sceptrata gerat, Regina aliis, non jam mihi, quando
 13 negligimur, per quos venit omnis gloria, vates.
 14 Fronte superba, domos, turrita palatia jactet,
 15 objiciat templorum apices, quaeque astra lacessunt
 16 insanas operum moles, longa atria pandat,
 17 porticibusque altis vacuas suspensa per auras
 18 regia tecta ; sit artificum laus ista, laborque,
 19 et praetoris opus, vani spectacula fastus.
 20 Quidquid id est ventura brevi ni subruat aetas,
 21 vertant ultima saecula, et inexorabile fatum.
 22 Non ea sors scriptis ; tibi quae monumenta paramus,
 23 Divio, ad extremos ibunt mansura nepotes.
 24 Fors tibi grande meo veniet de carmine nomen.
 25 Ad nos quid decora Urbis et ornamenta superbae,
 26 atque triumphales, quos gloria consecrat, arcus,
 27 sculpta laboratis spirant ubi proelia saxis,
 28 si saxis accedat honos, nullusque poetis ?
 29 Per nos et vivunt, et marmora muta loquuntur.
 30 Impositos sileam frustra indignantibus undis,

31 fluminibus pontes, frenatos undique fluctus
32 pariete perpetuo, laxis furiosus habenis
33 Sequana ne miseram cum civibus obruat Urbem,
34 sed discat servare modum, docilisque teneri
35 praescripto se contineat tranquillus in alveo.
36 Haec aliis fuerint miracula, pandere nostrum,
37 haec refugit carmen, si non in honore poetae.
38 Hunc mihi servabas mea Divio mater, honorem,
39 Divio, quae nostrae vel prima ad murmura famae,
40 muneribus magnis cumulaveris ; obvia dona
41 obstupui : neque enim tantos sperabat honores,
42 dedecus aetatis nostrae, contemptus Apollo.
43 Scilicet (hoc discant pulchris cultae artibus urbes)
44 in me omnes defixi oculis, quocumque ferebar,
45 aurato invectum per publica compita curru,
46 monstrabant digito nec inani nomine vatem.
47 Clam, fateor, titulisque meis famaue fruebar.
48 Doctae Urbis studia, et mores mirabar honestas.
49 Vidi oratores centum, centumque poetas
50 omnes accensi studiis aequalibus, omnes
51 irruere, et nostris certatim assurgere Musis.
52 Sic lapsos reparas mea Divio mater honores ;
53 aufers opprobrium veteris soror aemula Romae,
54 quando tuos repetis cives, ambisque poetas.
55 Mille tibi solvent tanto pro munere versus
56 nostrae Pierides, totumque Helicon a recludent.
57 Sentio, Pieriis cum fontibus haurio numen.
58 Quis palmam mihi praeripiat ? Quis carmine mecum
59 certet ? Tot titulis, tantis et honoribus auctus
60 auguror, et nostram haud fallent oracula mentem,
61 inscribenda mihi, media quae surget in Urbe,
62 fusile opus, Magni late dominantis imago.
63 Salve, o ! divinos quae tollis ad aethera vates,
64 quosque foves gremio, et quos jactas mater alumnos,
65 nostrum dulce decus, salve fecunda virorum,
66 divio, sera nimis mihi cognita, et agnita tandem.
67 Reginas tu longe Urbes, armisque togaque,
68 exsuperas, nec eges alienae incumbere famae
69 luminibus spectanda tuis ; tibi plaudimus omnes.
70 Ingenii est, quodcumque venit splendoris, ab illo
71 laus tua surgit, honosque, hinc et tua fama petenda est.
72 Testis eram, dum Borbonidae pro munere reddit
73 orator, fidi monumentum et pignus amoris,
74 vi quanta, quibus illecebris, pro rebus agendis,
75 detinuit doctas attenti Principis aures.
76 Per te aeterna meis stet laus et gloria Musis.
77 Per te annos contra, et frigentis damna senectae,
78 fervebit calidus circum praecordia sanguis.
79 Quando dabis patera spumantia vina capaci,
80 quae sitiens pavido ore bibam ! Ceu Numine plenus
81 quanta canam ? Facili erumpent nova carmina vena.
82 Cantanti simul invideant juvenesque senesque.
83 Tempora florentis revocabo prima juventae,
84 sponte Parisina vates Burgundus in Urbe.